

Liber consolationis et consilii

Albertanus Brixienis

Quoniam multi sunt, qui in adversitatibus et tribulationibus taliter affliguntur et deprimuntur, quod, cum in se propter animi perturbationem nec consilium nec consolationem habeant neque ab aliis expectent, ita contristantur, ut de malo in pejus cadant: ideo tibi, filio meo Johanni, qui in arte cyurgiæmedicando te exerces, et plerumque tales invenis, quædam tibi pro modulo meæ scientiæ scribere curavi, per quæ, dante Domino, poteris prædictis non solum in corporibus medelam tribuere, sed etiam circa prædicta consilium et consolationem impertiri atque juvamen. Legas itaque similitudinem infra scriptam, et auctoritates in hoc libronotatas attente ac studiosissime perlegas, et ita, divina favente grati, poteris tibi et aliis proficiendo ad prædicta leviter pervenire. Ecce similitudo.

Caput I.

Exemplum in persona Melibei.

Quidam juvenis, Melibeus nomine, vir potens et dives, relinquens uxorem et filiam in domo, quas multum diligebat, clauso ostio domus, ivit spatiatum. Tres vero sui vicini et hostes antiqui hoc videntes, appositis scalis ac per fenestras domus intrantes, uxorem Melibei, Prudentiam nomine, verberaverunt fortiter et, filiæ ejus plagis quinque apposis, videlicet in oculis, auribus, ore et naso ac manibus, illamque semivivam relinquentes, abierunt.

Melibeus vero post modum reversus, hoc videns coepit magno planctu flendocomas sibi dilaniare vestesque suas quasi more furiosi dilacerare. Uxor autem jam dicta, ut taceret, coepit illum instanter ammonere. Ille verosemper plus clamabat; at illa distulit aliquantulum recordata de verbo Ovidii, De Remedio Amoris, qui dixit:

Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.
Cum dederit lacrimas animumque impleverit ægrum,
Ille dolor verbis emoderandus erit.

Caput II.

De consolatione.

Cum autem vir a fletu aliquantulum cessasset animumque ægrum implevisset, coepit illum Prudentia monere dicens:

Stulte cur insanis, quid te dolor urget inanis?
Acquirit gemitus præmia nulla tuus,
Temperet ergo tuum modus et prudentia fletum;
Terge tuas lacrimas; prospice quid facias.
Ut graviter doleat, non pertinet ad sapientem,
Cum dolor ad dominum præmia nulla ferat.

Filia tua, dante Domino, bene liberabitur; nam etsi mortua fuerit, nontamen te propter illam destruere debes. Ait enim Seneca: "Non affligitur sapiens liberorum vel amicorum amissione: eodem animo enim fert illorum mortem quo suam expectat. " "Malo enim, ut relinquant dolorem quam ab illo relinquaris: et quam primum id facere desiste, quod, etiam si voles, diu facere non poteris."

Melibeus respondit: Quis posset in tanto dolore fletum et lacrimas cohibere, nam et Dominus noster, Jhesus Christus, de Lazaro amico suo "infremuit spiritu et lacrimatus est."

At Prudentia dixit: Temperatus fletus a tristi vel inter tristes non est prohibitus, immo concessus secundum beatum Paulum, qui dixit in Epistola ad Romanos: "Gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus. " Et etiam Tullius dixit: "Proprium est animi bene constituti, et lætari bonis rebus et dolere contrariis;" plorare autem ac multas lacrimas fundere, prohibitum est. Modus vero a Seneca inventus est servandus, qui dixit: "Nec sicci sint oculi tui, amisso amico, nec fluant: lacrimandum est, et non plorandum. " Ante vero quam amicum amittas, repara ipsum, si commode potes, nam ut idem ait: "Sanctius est amicum reparare quam flere. " Ad hoc ergo ut prudenter vivas, tristitiam hujus seculi ab animo tuo omnino repellas, ait enim Jhesus Sirac: "Multos enim occidit tristitia, nec est utilitas in illa. " Et alibi idem dixit: "Animus gaudens floridam vitam facit, spiritus vero tristis exsiccat ossa. " Et Salomon dixit: "Sicut tinea vestimento et vermibus ligno, ita tristitia nocet hominis cordi;" et iterum: "Non contristabit iustum quicquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. " Et Seneca in Epistolis dixit: "Nihil est stultius quam famam captare tristitiæ et lacrimas approbare;" "nihil enim sapienti viro accidere potest, quod eum contristet: stat rectus sub quolibet pondere, " sicut accidit in beato Job, qui cum omnes filios suos omnemque substantiam suam amisisset, insuperet multas in corpore suo tribulationes sustineret, semper stetit rectus ac semper Domino gratias agens dicebat: "Dominus dedit, Dominus abstulit; quod Domino placuit factum est; sit nomen Domini benedictum" "ex hoc nunciet usque in seculum. " Non ergo debemus nimis dolere de filiis vel aliis rebus amissis, ex quo id quod accidit mutari non potest; sed potius debemus gaudere de habitis, quam dolere de amissis, unde quidam volens patrem de morte filii consolari sic ait: Noli flere quod bonum filium amisisti, sed potius quod talem habuisti, gaude. Et alibi idem Seneca ait: "Nulla res citius ad odium venit quam dolor; recens dolor libenter ad se consolationem inducit, inveteratus vero deridetur, nec immerito: aut enim simulatus est aut stultus." Et certe tristitiam hujus seculi a te ideo repellere debes, quia verum est, quod beatus Paulus in Epistola secunda ad Corinthios circa medium dixit: "Seculi autem tristitia mortem operatur. Quæ enim secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur;" et ideo eam a te nullomodo repellas, sed potius die noctuque studeas habere, quia postea "convertetur in gaudium, " ut Dominus in Evangelio dixit. Unde Salomon ait: "Cor sapientium est ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. " Et iterum: "Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii."

Melibeus respondit: Omnia quæcunque dixisti vera sunt atque utilia; verum tamen animus turbatus me tantum impellit quod, quid facere debeam, ignoro.

At illa dixit: Convoca probatos ac fideles amicos, agnatos quoque et cognatos, et ab eis super prædictis diligenter consilium postula, et secundum illorum consilium te regas. Dixit enim Salomon: Omnia cum consilio fac, et non te poenitebit.

Melibeus vero convocavit multitudinem hominum copiosam, inter quos fuerunt medici de

cyrurgia et physici, senes quoque et juvenes, vicini vero multi, qui magis illum reverebantur timore, quam diligerent amore, et etiam quidam, qui de inimicis facti fuerant amici et qui in ejus gratiam redierant. Multietiam convenerunt illuc assentatores sive adultores et etiam causidicisapientes. Quibus convocatis ille per ordinem narrans omnia, quæcunque illi acciderant, et ab ipsis consilium postulans, magnam voluntatem devindicta in continenti facienda demonstravit.

Tunc surrexit unus de medicis cyrurgiæ de consensu aliorum dearte sua et inter cetera dixit: Officium est medicorum atque ad illos semperspectat, omnibus prodesse ac nulli nocere. Plerumque enim accidit, ut, vulneribus in rixa utrinque factis, medici de arte sua utrique parti consulantac utrisque sollicite medelam adhibeant. Et ideo non expedit eis de guerravel vindicta consulere, nec inter aliquos partem capere, quare de vindictafacienda minime tibi consulimus. Filiam vero tuam, inspectis diligenterillius vulneribus, sollicite ac provide, die noctuque procurabimus, et, dante Domino, licet gravissime sit vulnerata, ad bonam plenamque sanitatemperducemus.

Post illum vero unus de medicis physicæ de consilio et voluntatealiorum consuluit quasi similia. Et post multa verba suum auxilium atqueconsilium circa medicinæ artem pro filia sua illi, pro se et aliis, repromisit. Circa vero guerram atque vindictam sic ait: Dicimus quia, sicutper physicam contraria contrariis curantur, ita et in guerra atque vindictaet in aliis rebus contraria contrariis curari consueverunt.

Vicini vero et inimici quondam, qui modo in gratiam redierant, adultoresquoque sive assentatores, omnes quasi lacrimantes et dolorem in facie deo quod acciderat ostendentes, de vindicta in continenti facienda et guerraviriliter peragenda consuluerunt, multum commendantes dominum Melibeumejusque potentiam atque divitias, numerando etiam multitudinem agnatorumejus et cognatorum, affinium quoque et amicorum, adversarorium insuperejus potentiam vilipendendo corumque divitias verbis annihilando.

Deinde unus de sapientibus causidicus de voluntate aliorum surrexit, et inter cetera dixit: Negotium istud arduum est, ratione injuriæet maleficii noviter commissi, et quia multa graviora in futurum hac occasionepossent contingere. Arduum etiam est ratione vicinitatis et divitiarumac potentiæ utriusque partis et etiam multis aliis rationibus, quæde facili non possent excogitari, nec conveniens esset hic numerari. Quare, cum sollicite sit procedendum, consilimus tibi, quatenus personam tuamita custodias, quod neque dolus neque astutiæ desint tibi ad cavendum. Insuper etiam domum tuam diligenter munias. De facto autem vindictæatque guerræ faciendæ dubium maximum videmus, quare, quid meliussit, adhuc judicare non possumus, unde spatium deliberandi causa postulamus; non enim subito vel celeriter est judicandum, "omnia enim subita probantur incauta, " et "in judicando criminosa est celeritas, " et "ad poenitendum properat qui cito judicat, " quare dicit consuevit: Optimum judicem existimo, qui cito intelligit et tarde judicat; nam licet mora omnis odio sit, nontamen in judicando mora competens est reprobanda; scriptum est enim: "Mora omnis odio est, sed facit sapientem, " quare, si super prædictis deliberare volumus, non est mirandum. "Deliberare enim utilia mora est tutissima;" dici enim vulgo consuevit: Melior est judex lentus, quam ad judicandum properans, nam et ipse Deus, cum super muliere in adulterio deprehensa judicare vellet, scribendo in terra bis deliberavit. Nos autem post deliberationem, dante Domino, super prædictis tibi utiliter consulemus.

Juvenes vero confisi de fortitudine ac viribus suis et etiam de multitudine illorum, qui videbantur amici, post multas laudes domini Melibei ac divitiarum et parentelæ illius et potentiae, consuluerunt vindictam incontinenti faciendam et guerram potenti manu pertractandam, adversariorum potentiam et divitias pro nihilo reputantes, reprehendendo etiam sapientes de inducia et deliberatione postulata, allegando etiam quod, sicut ferrum igne calefactum et candidatum semper melius quam frigidum laboratur, ita et injuria recens in incontinenti semper melius quam ex intervallo vindicatur. Tunc vero quasi omnes cum magno strepitu clamaverunt: Sic, sic, fiat, fiat.

Tunc denique unus de senioribus indicens manu silentium de consuetudine voluntate aliorum senium dixit: Multi clamant sic, sic, qui vim verborum nesciunt et quod dicunt penitus ignorant. Vindicta certe et guerra, quæ oritur ex ea, tam largum habent introitum, ut initium ejus cuilibet pateat, finis vero illius cum magna difficultate et vix aut nunquam reperitur. Multi in principio guerræ nondum nati sunt, qui ante finem illius cum multo labore ac multis ærumnis aut senescunt aut miserabiliter propter guerram vitam finiunt. Quare non est subito nec festinanter procedendum; sed cum diligenti provisione et præparatione ac deliberatione maxima sollicitaque cura omnia sunt peragenda. Cumque vellet dictum suum rationibus comprobare, fere omnes contra illum insultare coeperunt dictumque suum frequenter interrumpere dicentes, ut verba sua cum festinatione finiret, dictumque fuit illi: "Ubi non est auditus, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua, " importuna est enim narratio tua, quia tibi non præbetur auditus, et est quasi musica in luctu; ait enim Jhesus Sirac: "Musica in luctu importuna narratio. " Cum autem senior vidisset, sibi denegari audientiam, et cognosceret, quia invito auditori nemo bene refert, dixit illis: Inconsulta temeritas nescit expectare consilium, et iterum: "Consilium quippe mutare detractat improvidus;" nunc certe cognosco verum, quod dici consuevit: "Semper consilium tunc deest, quando maxime opus est, " et ita quasi confusus senior resedit.

Sed et multi ad aures Melibei aliter consulebant secreto, quam palam dicere vellent, immo palam aliud monstrabant.

Tunc vero exsurgens Melibeus, facta inter eos more solito partita, cognovit, viginti partes illorum esse de partita vindictæ in incontinenti faciendæ atque guerræ viriliter pertractandæ, unde consilium illorum laudavit, insuper et firmavit.

Cumque Melibeus ad vindictam properaret, domina Prudentia, uxor ejus occurrens ei, prius cognitis, quæ ordinata fuerant atque per consilium jam dictum stabilita, dixit illi:

Ne properes oro, spatium pro munere posco.

Nam Petrus Alfunsus dixit: "Ne properes ulli reddere mutuum boni vel mali, quia diutius expectabit te amicus, et diutius timebit te inimicus. " Igitur desine ab ira et derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris. " Domine mi, nonne vis etiam meum consilium habere.

Caput III.

De improprio mulierum.

Qui respondens ait: Tuo consilio uti minime proposui multis rationibus. Primo, quia pro stulto ab omnibus reputarer, so pro tuo consilio vel sensumutarem quod est a tanta multitudine hominum stabilitum. Secunda ratione, quia mulieres malæ sunt, nullaque bona reperitur, Salomone testante, qui dixit: "Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. "Tertia ratione, quia si tuo sensu ac consilio me regerem, jam viderer tibi super me dare primatum, et ita per hoc facerem te mihi contrariam, et potestatem tibi super me darem, quod esse minime debet; ait enim Jhesus Sirac: "Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo;" et Salomon dixit: "Audite populi et omnes gentes et rectores ecclesiæ: filio et mulieri et fratri et amico ne dederis potestatem super te in vita tua;" "melius est enim, ut filii tui in te respiciant, quam te respicere in manus filiorum tuorum. " Quarta vero ratione, quia, si uterer consilio tuo, quandoque oporteret, ut secretum haberetur, donec illud patefieri foret necessarium, quod a te fieri non valeret; scriptum est enim: "Garrulitas mulierum id solum novit celare, quod nescit. " Quinta denique ratione propter philosophi verbum, qui dixit: "Malo in consilio feminæ vincunt viros. "

Caput IV.

De excusatione mulierum.

Tunc vero domina Prudentia, patienter et benigne auditis et cognitis, quæ a viro suo fuerant dicta, implorata prius respondendi licentia, dixit ei: Primæ rationi, quam pro te allegasti, potest responderi, quia "non est stultum cum re mutare consilium;" nam etiamsi prædicta facere promisisses, non tamen dicereris mentiri, si justa de causa ea mutares; scriptum est enim: Sapiens non mentitur, cum suum propositum mutat in melius; nec obstat quod dicis, tuum consilium a multitudine hominum fore stabilitum; veritas enim rerum atque utilitas semper a paucis sapientibus melius invenitur, quam per multitudinem clamorosa discutitur; "multitudo enim onerosa nihil habet honesti."

Secundæ autem rationi, quæ dixisti omnes mulieres tam malas esse, quod nulla bona reperitur, respondeo quod, salva reverentia tua, non debes ita generaliter despiciere mulieres ac earum imprudentiam reprobare, nam qui omnes despicit, omnibus displicet; et etiam Seneca, De Formula Honestæ Vitæ, dixit: "Nullius imprudentiam despicias; rari sermonis ipse, sed loquentium patiens auditor; severus non sævus, hilares neque aspernans; sapientiæ cupidus et docilis; quæ scieris sine arrogantiâ postulanti imperties; quæ nescieris sine occultatione ignorantia tibi benigne postula impertiri. " In finitæ namque mulieres bonæ sunt, quod potest divina ratione probari; nam si nulla bona mulier inveniretur, Jhesus Christus in muliere venire dignatus fuisset, et carnem humanam de virgine non sumpsisset; nam et multas sanctas et bonas mulieres esse, nemo est qui ignoret. Et etiam Dominus noster, Jhesus Christus, propter bonitatem mulierum, post resurrectionem suam prius dignatus est se manifestare mulieribus quam viris, quia prius se ostendit Mariæ Magdalænæ quam apostolis. Nec obstat quod dixit Salomon: "Mulierem ex omnibus non inveni, " quia licet ille non invenerit, alii multi mulieres bonas invenerunt, vel forte Salomon intellexit de mulieribus in summa bonitate constitutis, de quibus nulla reperitur. Nemo enim est undique perfectus neque perfecte bonus, nisi solus Deus, ut ipsemet in Evangelio dixit.

Tertiam vero rationem, in qua dixisti, quod, si meo consilio vel sensute regeres, videreris mihi concedere primatum, et potestatem super te mihidare, puto frivolam, immo nullam; nam si omnibus, cum quibus consilium habemus, primatum ac dominium super nos concederemus, nullus vellet ab alio consilium habere; liberum enim arbitrium habemus, consilium nobis datum omittere vel servare.

Quartam vero rationem, ubi dixisti: "Garrulitas mulierum id solum novit celare, quod nescit," similiter puto nullam, nec hic locum habere, nam illud intelligitur de pessimis mulieribus garrulis et loquacibus, de quibus dici consuevit: Tria sunt, quæ expellunt hominem de domo, scilicet fumus et stillicidium et mala uxor; de quibus etiam Salomon dixit: "Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda." Me autem non invenisti talem, immo frequenter expertus es meum secretissimum silentium atque meam taciturnitatem.

Quod autem quinto loco dixisti, videlicet: "Malo in consilio feminæ vincunt viros," hic locum habere non potest, quia malum consilium facere non vis; nam etsi malum consilium facere velles, et mulieres in hoc malo consilio te vincerent consulendo tibi in bonum, non essent vituperandæ, sed potius laudandæ. Ait enim beatus Paulus in Epistola ad Romanos: "Noli vinci a malo, sed vince in bono malum." Si autem diceres, quod mulieres male consulerent viris volentibus capere bonum consilium, et in hoc vincerent: hoc imputandum esset viris qui domini sunt consilii, et possunt reprobare malum consilium et eligere bonum; ait enim idem Paulus in Epistola prima ad Thessalonicenses in fine: "Omnia probate: quod bonum est tenete." Veldicas, illud locum habere, quando pravæ mulieres et pessimæ consulunt stultis viris. Hic autem non est sic.

Caput V.

De laude mulierum.

Hic ad excusationem mulierum auditis, audias et intelligas quinque alias rationes, quibus probari potest, mulieres esse bonas et maxime benignas conjuges, earumque consilium esse audiendum et, si bonum est, servandum. Primo, quia vulgo dici consuevit: Consilium feminile aut nimis vile. Nimis carum intelligo: id est carissimum, ut non notetur per hoc superfluitas, sicut de amicis Dei dicitur: "Nimis honorati sunt amici tui, Deus." Et certe, licet enim multæ mulieres pessimæ sint, quarum consilium est vile, tamen in multis invenitur optimum consilium. Jacob enim per bonum consilium matris suæ Rebecæ adeptus est patris sui Ysaac benedictionem et super fratribus suis dominatum. Similiter et Judith per bonum suum consilium liberavit civitatem, in qua morabatur, de manibus Holofernis, qui illam obsidendo destruere volebat. Similiter et Abigail per suum bonum consilium virum suum Nabal ab ira David regis liberavit, qui eum interficere volebat. Simili modo et Hester Judæos per suum bonum consilium simul cum Mardocheo, in regno Assueri regis, sublimavit. Et ita de infinitis bonis mulieribus earumque consiliis infinita possent reperiri exempla.

Secunda vero ratio, quare consilium bonarum mulierum est audiendum et, si bonum fuerit,

servandum, comprobatur propter primum nomen a Deo mulieribus appositum; nam cum Deus fecisset hominem, dixit: "Faciamus ei adiutorium, "et sic extracta costa de corpore illius fecit Evam, et ita vocavit eam adiutorium, quia homines adjuvare illisque consulere debent. Et bene possunt vocari mulieres adiutorum et sic per consequentiam consilium, nam sine auxilio et consilio mulierum mundus durare non valeret. Et certe malum auxilium Deus homini dedisset, si ab eis consilium petere minime deberet, cum vix unum sine altero esse possit.

Tertia vero ratio ad hoc inducitur, quia mulier melior est auro et lapide pretioso et etiam ipso sensu, et ejus sensus acutior est et alios exsuperat, quare per versus dici consuevit:

Quid melius auro? Jaspis. Quid jaspide? Sensus.

Quid sensu? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Quartam vero rationem ad hoc inducit Seneca, commendans super omnia benignas conjuges; ait enim: "Sicut nihil est superius benigna conjuge, ita nihil est crudelius infesta muliere. Quanto enim sapiens vitam suam pro viri salute opponit, tanto maligna ad mariti mortem etiam vitam suam reputat."

Quintam denique rationem Cato pro mulieribus induxit dicens:

Uxor is linguam, si frugi est, ferre memento.

"Scias itaque, in bona muliere bonam societatem esse, " unde dici consuevit: "Bona mulier fidelis custos est et bona domus;" nam bona mulier bene faciendo et viro bene parendo in tantum illum allicit, ut non solum illi consulere valeat, sed etiam illi imperare videatur; quare a sapientibus dici consuevit: "Casta matrona parendo viro imperat, " et: "Qui docte servit, partem dominatus tenet. " Si ergo prudenter et cum consilio te regere volueris, filiam tuam, dante Domino, ad plenam sanitatem perducam, et te de hoc facto cum honore faciam exire.

Tunc Melibeus hoc audiens, exhilarata aliquantulum facie, dixit: "Favus mellis, verba composita: dulcedo animæ et sanitas ossium. " Per tuamque bona et dulcia verba ac per experientiam præcedentem cognovite prudentem et fidelem mihi atque discretam; ideoque, mutato proposito meo, prudenter et cum consilio tuo me regere desidero.

At illa dixit: Si prudenter vis vivere, te prudentiam oportet habere.

Melibeus respondit: Bene habeo prudentiam, ex quo habeo te ipsam, quæ hoc nomine vocaris.

At illa dixit: Non ego sum prudentia, sed sum prudentiæ verba.

Qui respondens dixit: Indica ergo mihi, quid sit prudentia et qualis sit (VI), quot et quæ sint species prudentiæ (VII), quid sit effectus prudentiæ (VIII), et quomodo prudentia acquiratur (IX).

Caput VI.

De prudentia.

Illa vero dixit ei: "Prudentia est rerum bonarum et malarum utrarumque discretio" cum electione boni et fuga mali. Et certe prudentia expedita est et infatigabilis, et superat cuncta. Ait enim Cassiodorus: "Superavit cuncta infatigabilis et expedita prudentia."

Caput VII.

Quot et quæ sint species prudentiæ.

Species autem prudentia sunt sex, scilicet: Ratio, Intellectus, Providentia, Circumspectio, Cautio, Docilitas.

"Ratio est arbitra bonorum et malorum." "Sequitur autem ratio naturam. Quid est ergo ratio: Naturæ imitatio." Diffinitur etiam sic: Ratio est vis discretiva boni et mali, liciti et illiciti, honesti et inhonesti electione boni et fuga mali; inde etiam dicitur ratiocinatio, id est rationis inquisitio.

Intellectus est speculatio veri.

Providentia est præsens notio futurorum pertractans eventum.

Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela.

Cautio est discernere a virtutibus vitia speciem virtutum præferentia.

Docilitas est virtus docendi imperitos.

Caput VIII.

De effectu prudentiæ.

Effectus autem sive utilitas prudentiæ est beatitudo; nam qui prudens est beatus est, et ad beatam vitam sola sufficit prudentia. Ait enim Seneca in Epistolis: "Qui prudens est et temperans est; qui temperans est et constans est; qui constans est et imperturbatus est; qui imperturbatus est sine

tristitia est; qui sine tristitia est beatus est: ergo prudens beatus est, et prudentia ad beatam vitam satis est. " Qui ergo habet prudentiam, has habet utilitates, quia beatus est et prudens et constans et temperans et imperturbatus et sine tristitia, et habet etiam omnes utilitates, quæ proveniunt ex speciebus prudentiæ, et multas alias, quas non oportet hic enumerari.

Caput IX.

Quomodo acquiratur prudentia.

Acquiritur quippe prudentia et sapientia omnisque scientia doctrina bona et a bona doctore tradita et perseveranti studio.

A bono doctore tradita ideo dixi, quia bonos doctores medicosque, artifices quoque et magistros ac operarios, et in qualibet arte vel professione peritiores semper eligere debes, eorumque consilium et auxilium, si opus fuerit, postulare. Nam sicut bonus doctor per bonam doctrinam præstabit gratiam, ita malus per malam doctrinam ducet in errorem ac destruet illam; et sicut bonus medicus curabiles infirmitates cito sanat, ita malus curabiles infirmitates incurabiles tacit et per imperitiam suam post multos labores et multas expensas multos necat. Sic etiam mali magistri, artifices et operarii multa bona opera post multos labores multasque expensas devastant ac imperite destruunt, quare de prædictis bonum mereatum non poterit habere; immo sanctius esset, illis, ut ab opere suo cessarent, bene solvere, quam eorum operam gratis et sine pretio habere.

Verum, quia dixi, prudentiam et omnem scientiam acquiri etiam perseveranti studio, videndum est, quid sit studium, et quæ sint ad studium utilia et necessaria.

Caput X.

De studio et studioso, et quæ sint utilia et necessaria studentibus.

Itaque "studium est vehemens animi applicatio ad aliquam rem summa eum voluntate."

Ad studium autem sunt utilia: in primis, doctrina, ut supra dixi, de qua doctrina, plenius scriptum est in libro De Forma Vitæ in principio, quem ad Vincentium fratrem tuum direxi.

Secundo, utile est adjuvare ingenium intentissima cura et acri usu et exercitatione; nam "exercitatio ingenium et naturam sæpe vincit, et usus omnium magistrorum præcepta superat."

Tertio, utile est adjuvare usum per exercitium manuum, et ingenium cum cura; ait enim

Cato:

Exerce studium, quamvis perceperis artem.

Ut cura ingenium, sic et manus adjuvat usum.

Usus ergo ad studium necessarius est, qui præbet facilem viam inqualibet arte, unde versus:

Ars dat et usus habet: si junxeris artibus usum,

Difficilem facilem præbet in arte viam.

Et Seneca dixit: Nil plus proderit in pugna et in omni arte quam exercitium. Et Pamphilus dixit:

Cunctarum rerum prudentia discitur usu:

Usus et ars docuit, quod sapit omnis homo.

Et si forte studium pertineat ad litteralem scientiam, debes adjuvare animum et ingenium, ac mentem et memoriam quadrupliciter, videlicet intentione ac jugi lectione, atque ruminacione ac frequenti et assidua commemoratione.

De intentione dixit Seneca: "Acuit animum intentio, frangit remissio."

De jugi lectione dixit Cassiodorus: "Ægrescit profecto ingenium, nisi jugi lectione reparetur. " Reparare itaque debes ingenium jugi lectione cum humilitate et mansuetudine; scriptum est enim: "Bonus lector humilis esse debet et mansuetus et a curis malis et voluptatum illecebris prorsus alienus, diligens et sedulus, ut ab omnibus libenter discat, et nunquam de scientia sua præsumat. Perversi dogmatis auctores quasi venenafugiat; diu rem pertractet, antequam judicet; discat non videri doctus, sed esse quærat; dicta sapientum intelligat, et intellecta diligat, et ea semper ante oculum vultus sui tenere studeat. " Triplex ergo humilitas in studioso requiri debet: prima, ut "nullam scientiam nullamque scripturam vilem habest" vel reputet, quia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, juxta illud Senecæ: "Nullius imprudentiam despicias" et cetera. "Secunda humilitas est, ut a nemine discere aliquatenus erubescat, " juxta "illud [Platonicum]: Malo enim aliena verecunde discere, quam mea impudenter ignorare. " "Tertia est, ut, cum scientiam quis adeptus fuerit, ceteros non contempnat, " juxta illud Senecæ: "Quæ scierissine arrogantia postulanti imperties; quæ nescieris sine occultatione ignorantia tibi benigne postula impertiri. " Et licet dixerim, nullam scripturam vilem habendam, non tamen in scripturas quasi inutilibus multum est studendum vel tempus amittendum; nam "providendum est lectori, ne in studiis inutilibus operam suam expendat, et ne in bono et utili proposito remaneat tepidus. Malum est enim bonum negligenter agere: pejus est invanum labores multos expendere. " Et certe non solum lectione, sed etiam scriptura reparari debet ingenium; scriptum est enim: "Nec tantum scribere debemus, nec legere tantum: altera enim res vires constringit et exhaurit, altera solvit et diluit; invicem ergo hoc et illo commendandum est et alterum altero temperandum."

De ruminacione vero et frequenti et assidua commemoratione dixit Martialis:

Discendi modus est dum te nescire videbis.

Disce, sed assidue: disce, sed ut sapias.

Sumpta parum prodest, quæ mox emittitur esca:

Bos, quibus est pastus, ruminat hæc eadem.

Semper ergo discendum est, "quia nemo est, cui omnia scire datum sit;" et etiam memoria hominum labilis est, unde lex dicit: "Omnium memoriam habere et penitus in nullo peccare potius est divinitatis quam humanitatis. " Ut ergo plus sciatur, et memoria retineatur, semper congruis horis

legendum est et discendum; et nisi hæc feceris, dedisces; ait enim Seneca: "Dediscis, si nihil addiscis. " Et ab omnibus discendum est; scriptum est enim: "Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris; nam et qui ab omnibus accipiunt, omnibus sunt ditiores. " Et ita ruminanda est sumpta scientia, ut eam in promptu et in usu habeas; "solet enim plus prodesse, si pauca sapientiæ præcepta memoria teneas, et illa in promptu et in usu tibi sint, quam si multa quidem didiceris, et illa memoriæ non commendaveris, " quam memoriæ juvare debes cogitatione et ingenii exercitatione; ait enim Tullius, De Senectute: "Exercendæ memoriæ gratia, quid cotidie dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. " Studeas itaque die noctuque, et fac quod Seneca dixit: "Nullus mihi dies per otium transit, partio noctem nocturnis studiis, non vaco sompno, sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere castigatos detineo: Salutare ammonitionem scribo. " Cum cultura ergo laboris et assiduitate studii poteris ingenium tuum adjuvare et nobile facere ac tibi diadema decoris parare, juxta illud:

Ingenium facit ingenium cultura laboris,
Cui studium parat assiduum diadema decoris.

Hic auditis et diligenter intellectis, respondit Melibeus dicens: Domine, talem prudentiam nec habeo, nec habere spero. Jam enim in ætate processi fere usque ad finem meæ juventutis; et in tempore transactis secularibus ac voluptatibus taliter deditus fui, quod, licet valde dives sim, multa de meis facultatibus consumendo, tempus amisi, et dicere possum:

Dampna fleo rerum, sed plus fleo dampna dierum:
Quisque potest rebus succurrere, nemo diebus.
Nec etiam prudentiæ vel aliis rebus studere valeo; nam
Qui non assuescit virtutibus, dum juvenescit.
A vitiis nescit desuescere, quando senescit.

Et iterum:

Dedita meis curis fit veri nescia juris.

Cum ergo me cognoscam non sapientem, a te consilium super hoc præsentis negotii instanter postulo.

Ad hoc Prudentia respondit: Licet non sis sapiens ad plenum, non tamen es stultus; non enim potest non sapere, qui se stultum intelligit; nam si stultus esses, alios stultos reputares. Dixit enim Salomon: "In via stultus ambulans, cum ipse stultus sit, omnes stultos reputat;" et alibi: "Via stulti recta est in oculis ejus. " Et etiam in proverbio dicitur:

Quisque suo sensu sapiens sibi stultus habetur.

Verum, quia in dubiis consilium petis, sapiens potius quam stultus esse videris. Dixit enim Innocentius papa in libro De Contemptu Mundi: "Qui magis intelligit, magis dubitat; et ille videtur sibi plus sapere, qui plus desipiscit. Pars ergo scientiæ est scire, quod nescias. " "Vix enim est aliquid tam vile, vix tam facile, quod ad plenum sciatur vel comprehendatur ad liquidum, nisi forte illud perfecte sciatur, quod nihil scitur perfecte. " Si ergo per te nescis, a sapientibus discas eis que credas; nam qui per se nescit nec aliis credit, cum toto suo proposito in ruinam cadit.

Caput XI.

De consilio.

Quia igitur meum consilium habere desideras, primo videamus, quid sit consilium (XI a), unde dicatur (XI b), quomodo componatur (XI c), a quibus postulandum sit consilium (XI d) Æ'

XVII) quorum consilium sit vitandum (XVIII' XXV), quomodo sit examinandum (XXVI), quando et qualiter sit assumendum (XXVII), quando et qualiter sit retinendum (XXVIII), et quando sit mutandum consilium vel promissum (XXIX).

a. Consilium est hominis intentio vel propositum, quod homini vel hominibus exhibetur vel tribuitur, bonum vel malum persuadendo, motu proprio, super aliquo faciendo vel omittendo. Dicitur etiam consilium, quod capitur cum multis. "Dicitur etiam consilium dari, licet nullum intervenerit verbum, quando sciens praesto opem in maleficio committendo, ut ecce ferramentum commodavi ad confringendum ostium, vel similia feci, " ut leges dicunt.

b. Unde dicatur consilium. Dicitur autem consilium a consulo consulis, quod duas significationes habet, videlicet unam quaerendi ab alio consilium, et tunc habet constructionem ad accusativum: aliam vero dandi consilium alteri, et tunc habet constructionem ad dativum; unde versus:

Consulo te: quaero, tibi consulo: consilium do.

c. Quomodo componatur consilium. Componitur vero consilium dupliciter. Primo componitur ex con et scio, id est sentio, quia cum aliis debemus scire, id est consentire et concordare esse ad hoc, ut vere sit consilium. Alio vero modo componitur consilium ex con et sileo, quia cum alio vel aliis debemus istud silere, donec patefierit oportunitas vel necessarium.

d. A quibus sit consilium petendum. Nunc videamus, a quibus consilium petere debeas. Et certe tripliciter est petendum: primo, ab omnipotenti Domino; secundo, a te ipso; tertio vero, ab alio vel ab aliis. In Deo debes esse devotus et sapiens, in te ipso providus, in alio vel in aliis cautus, in examinando consilio discretus, in vitando rigidus, in assumendo doctus, in retinendo constans, in mutando lenis.

1. De consilio postulando a Deo. Quod consilium a Deo petere debeas, dicit beatus Jacobus in Epistola sua, circa principium ubi ait: "Si quis autem nostrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluentem, et non improperat: et dabitur ei. " Consilium ergo et omnia, quaecunque facis, in verbo aut in opere, in nomine Domini facere debes; ait enim beatus Paulus in Epistola ad Colossenses: "Omnia, quaecunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facitis, gratias agentes Deo et Patri;" nam ut idem Paulus dixit: "Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. " In petendo igitur consilium a Domino devotus et sapiens esse debes, ut ei, qui dominus est consilii, postules devote tantummodo "quod sit iustum vel quod videatur honestum;" et si hoc feceris, sine dubio quod volueris a Domino impetrabis. Ait enim Dominus: "Omnia, quaecunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis. " Intellego hoc, si iustus fueris et iuste postulaveris. Alioquin, si iniquissimum consilium feceris, super te devolvetur; ait enim Iesus Sirac: "Facienti iniquissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde veniat illi. " Si enim "in amicitia terrena lex talis sancita est, ut nec rogemus res turpes nec faciamus rogati, " et "ab amicis honesta petamus, et amicorum causa faciamus honesta, " multo fortius in Deo, qui est noster verus amicus et nostri animi custos, talia servare debemus; nam si ea "facta, quae pietatem et aestimationem et verecundiam nostram laedunt, et ut generaliter dicam, quae contra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credendum est, " ut leges dicunt, multo fortius Deus, adiutor omnium, talia facere dedignaretur, et supernos pro tali petitione iram suam induceret atque

indignationem, quare etiam Cato dixit:

Quod justum est petito, vel quod videatur honestum: nam stultum est petere, quod possit jure negari.

Cum ergo consilium hominis sine divino auxilio infirmum et inefficax sit, et sine ipso nihil facere valeamus, ut ipsemet testatur dicens: "Sine me nihil potestit facere, " "primo quæramus" consilium ab illo "et justitiæ meæ, et omnia bona adicientur nobis."

2. De consilio a se ipso petendo. A te ipso vero secundo loco petere debes consilium et intra te requirere; et in hoc providus esse debes, ut a te atque consiliariis tuis removeas illa tria, quæ maxime sunt consilio contraria, scilicet iram, voluptatem sive cupiditatem atque festinantiam.

Caput XII.

De ira vitanda in consiliis.

Primo itaque provideas, ne iratus vel ab irato consilium petas; et hoc multis rationibus: prima, quia iratus semper plus putat posse facere, quam possit, et ideo posse suum superat; scriptum est enim:

Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,
Posse suum superans, se minus ipse potest.

Secunda vero ratione, quia "iratus nil nisi criminis loquitur [loco], " ut Seneca dixit; et ita te et alios ad iram cito provocares, nam "lex videt iratum, iratus non videt illam. " Tertia vero ratione, quia ira impedit animum; quare Cato dixit:

Iratus de re incerta contendere noli:

Ira impedit animum, ne possit cernere verum.

In consiliis itaque et in aliis rebus "cohibere debes motus animi turbatos et appetitiones obedientes efficere rationi, " ut Tullius dixit, qui etiam ait: "Ira procul absit, cum qua nil recte fieri, nil considerari potest. Quæ enim aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt nec hijs, qui adsunt, approbari. " "Ira certe non habet misericordiam nec erumpens furor; et impetum concitati ferre quis poterit?" Nam "iratus etiam consilium facinus esse putat;" quare dictum est: "Iracundiam qui vincit, maximum superat hostem."

Et si de ira, irato et iracundo plenius scire volueris, legas in libro, De Forma Vitæ, ad Vincentium scripto, in titulo: De Amicitia Iracundi Hominis Vitanda.

Caput XIII.

De cupiditate seu voluptate vitanda in consiliis.

Providere etiam debes, ne cupiditas vel voluptas, consilium tuum impediendo, te vel consiliarios tuos in tantum hebetet, ut nimia voluptas sensum devincat; et hoc multis rationibus:

prima, quia "cupiditas est radix omnium malorum, "ut beatus Paulus dixit in Epistola ad Timotheum.

Secunda vero ratione, quia voluptas omne animi lumen extinguit et omnem alium et vitium in se habet; nam dicit Tullius, De Senectute: "Nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus a natura datam, eujus voluptatis avidæ libidines et temere et effrenate ad potiendum incitantur. Hinc patriæ perditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; supra vero et adulteria et omne malum flagitium nullis aliis illecebris excitari nisi voluptatis. Cumque homini sive natura sive quis deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tamesse inimicum quam voluptatem. Nec enim, libidine dominante, locum temperantiae esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. " "Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem, si quidamea, cum major esset, omne animi lumen extingueret. " Et certe voluptas ita pessima est, ut nunquam oriatur, nisi præcesserit dolor; ait enim Petrus Alfonsus: "Nulla quippe voluptas oritur, nisi dolor præcesserit, ut nemo unquam delectatur bibendo, nisi prius doluerit sitiendo; nemo delectatur in comestione, nisi dolor præcesserit in fame, aut etiam in requie, nisi prius doluerit ex labore, et sic in ceteris affectibus. " Et nota, quod in qualibet etiam minima voluptate periculum imminet; unde illud: Quicumque voluptuosus fuerit, vitio carere non poterit.

Tertia vero ratione in consiliis et aliis rebus vitare ac remove debet cupiditatem, quia parit peccatum et generat mortem. Ait enim beatus Jacobus in Epistola sua: "Unusquisque enim temptatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde cum concupiscentia conceperit, parit peccatum: peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. " Et certe in tantum est pessima cupiditas, ut "cupienti animo nihil satis festinetur;" quare dici consuevit: "Cupiditati tarda est celeritas."

Quarta vero ratione vitanda est cupiditas et a consiliis penitus removenda, quia "omnes cupiditates portæ sunt inferni, per quas itur in mortem, ""quæ si aliter auferri non possent, ipsum cor evellendum esset."

Quinta vero ratione non solum in consiliis, sed etiam in omnibus actibus tuis omnino cupiditatem expellere ac remove debes, quia "cupiditas nihil amat, nisi quod non licet;" quare Seneca dixit: "Ferocissima cupiditas pestis est, quæ solet egenos facere quos capit, quia finem quærendi non invenit. " "Altera enim cupiditas ex fine alterius nascitur. " Quare idem ait: "Fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem subicit."

Sexta denique ratione "cupiditas omnino in omnibus negotiis omnibusque actibus removenda est atque fugienda, et igne ac ferro succidenda, totoque artificio separanda" propter infirmitatem vitandam maxime; nam si cupiditas finem quærendi non invenerit, ut dictum est, illam merito fugere debes. Scriptum est enim in Didascalo Hugonis, in titulo Quomodo sit legenda divina Scriptura ad Correctionem Morum: "Noli sequi infinita; nam ubi finis non est, requies non esse potest; ubi pax non est, Deus habitare non potest. In pace, inquit propheta, factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus. "

Caput XIV.

De festinantia vitanda in consiliis.

Festinantiam denique in consiliis esse contrariam, cognoscas; ideoque illam in consiliis a te procul abicias; sicut enim "in iudicando criminosam celeritas, " unde dici consuevit: Optimum iudicem existimo, qui cito intelligit et tarde iudicat, et etiam: "Ad poenitendum properat qui cito iudicat, " ita et de consiliis scriptum est: "De consiliis, quod diu tractaveris, id puta rectissimum. " Et etiam dici consuevit: "Velox consilium sequitur poenitentia. " Non ergo consilium dare vel recipere debes subito et festinanter, sed cum deliberatione ac mora competenti; ait enim Seneca, De Formula Honestæ Vitæ: "Nihil tibi subitum sit, sed totum ante prospicias; nam qui providus est, non dicit non putavi hoc fieri; quia non dubitat, sed expectat, non suspicatur, sed cavet. " Quare in talibus deliberatio et competens mora non est reprobanda, immo valde diligenda. Scriptum est enim: "Deliberare utilia, mora est tutissima;" et iterum: "Mora omnis odio est sed facit sapientem. "

Caput XV.

De secreto non propalando nisi propter necessitatem et utilitatem.

Habita deliberatione ac diligenti provisione super removendis hijs, quæ sunt consilio contraria, videlicet ira, cupiditate seu voluptate ac festinantia, provideas etiam, ut secretum tuum tibi habeas nec ab alio inde consilium petas, si per consilium, alienum non potes tuam conditionem facere meliorem; ait enim Ihesus Sirac: "Amico et inimico noli enarrare sensum tuum, et, si est tuum delictum, noli denudare. Audiet enim te, et respiciet te, et quasi defendens peccatum tuum, subridebit te. " Et alius dixit: "Quod secretum esse vis, nemini dicas. " Et alius dixit: Vix existimes ab uno posse celari secretum. Et Petrus Alfonsus dixit: "Consilium vel secretum absconditum quasi in carcere suo tenet ligatum;" quare dixit: "Qui consilium suum in corde suo retinet, sui juris est melius eligere;" nam tutius est tacere, quam ut taceat alium rogare. Ait enim Seneca: "Si tibi ipsi non imperasti, ut taceres, quomodo ab alio silentium quæris?" Si autem per alienum consilium tuam conditionem credis facere meliorem, tunc delibera et intra te diligenter provide, cum quo vel quibus consilium facere debeas tuaque secreta aperire; ait enim Seneca: "Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. " Et Petrus Alfonsus dixit: "Propter amicos non probatos: provide tibi semel de inimicis, et millesies de amicis; quia forsitan amicus fiet inimicus, et sic levius poterit dampnum tuum perquirere. "

Caput XVI.

De non ostendenda voluntate in consiliis.

Item provideas, ne voluntatem tuam super consilio petito consiliariis ostendas; nam fere

omnes homines assentatores sunt, vultumque petentis respiciunt; et quod ei placere credunt, id libenter dicere conantur, et magis, illius voluntatem respiciendo, illi applaudunt, quam quod ei displiceat, licet utile sit, dicere velint; et hæc est ratio, quare magnates atque potentes, si per se nesciunt, consilium bonum vix aut nunquam capere possunt; de quibus assentatoribus atque adulatoribus infra plenius tibi dicam.

In petendo itaque a te consilio primo provideas, ut quæ sunt contraria consilio a te et a consiliariis tuis removeas; secundo, ut secretum tuum tibi habeas, si tuam conditionem per alienum consilium meliorare non potes; tertio, ut de consiliariis intra te deliberes atque perpenses; quarto, ut de consilio petito voluntatem consiliariis non ostendas.

Caput XVII.

De consilio ab aliis petendo. Æ•

Petito a te consilio atque intra te proviso, opportunum est quandoque, ut ab alio vel ab aliis consilium petas. Videndum est igitur a quibus consilium petere debeas.

In petendo itaque ab aliis consilio, hanc cautelam sollicitè observes, ut bonos amicos a malis vel ab inimicis discernas. A bonis ergo amicis, et a sapientibus ac peritis, probatis et inventis fidelibus, et maxime a senibus consilium postulanfum est.

De amicis ideo dixi, quia, ut ait Salomon, "unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur;" nihil enim "dulcius est quam habere amicum, cum quo tanquam cum te ipso loquaris. "Quare idem Salomon ait: "Amico fideli nulla est comparatio, nec est digna ponderatio auri vel argenti contra bonitatem fidei ejus;" et iterum: "Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coequalis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. " Et iterum ait: "Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. " Inde etiam dici consuevit: "Quale est sine anima corpus, talis est sine amicis homo;" nam "etsi ea permaneant, quæ dicuntur dona fortunæ, vita tamen inculta et deserta ab amicis non potest esse jocunda."

De sapientibus et peritis ideo dixi, quia verum est, quod dici consuevit: "Sapiens contra omnes fert arma, dum cogitat. " Per sapientiam ergo ac consilium suum tibi taliter consulent, quod, si eis credideris, inconsulte cadere non poteris. Scriptum est enim:

Non de ponte cadit qui cum sapientia vadit.

Et Seneca, De Formula Honestæ Vitæ, dixit: "Consilium peritorum ex apertis obscura existimat, ex parvis magna, ex proximis remota, ex partibus tota."

De probatis vero et inventis fidelibus ideo dixi, quia multi dicuntur sapientes, qui malitiosi sunt et aliis per malitiam cito consulent male. Quare non est omnibus credendum, sed probatis tantum et fidelibus repertis; ait enim beatus Johannes in Epistola sua: "Carissimi, nolite omni

credere spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sint. " Et etiam Paulus in Epistola ad Thessalonicenses dixit: "Omnia probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. " Et Sapiens ait: "Qui credit cito, levis est corde et minorabitur;" "facilitas enim animi ad partem stultitiæ vergit. " Et alius dixit: "Ne laudes amicum, donec probaveris eum. " Et Salomon dixit: "Si possides amicum, in temptatione posside;" "est enim amicus secundum sua tempora; in tempore autem temptationis vel tribulationis non permanebit. " Et quidam philosophus: "Cave tibi a consilio illius, a quo consilium petis, ut sit tibi fidelis et probatus."

De senibus denique ideo mentionem feci, quia, ut ait sanctus Job, "in antiquis est sapientia, et in longo tempore prudentia. " Nam et Cassiodorus dixit: "Illi prudentiores semper sunt habiti, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi;" et iterum: "Cum multa trahis ab antiquis, meruisti placere de propriis;" nam "senes ipsi consiliis sapientiam discunt. " Quare Martialis dixit:

Pannorum veterum facile contempnitur usus:

Non sic consilium. Postume, sperne senum.

Et Tullius, De Senectute, dixit: "Non viribus, non velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate et scientia, quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet."

A supra dictis itaque consilium postulando, talem adhibeas cautelam, ut primo ab uno vel a paucis consilium petatur; ait enim Salomon: "Multipacifici sint tibi, et consiliarius unus de mille. " Et non solum unum consilium cum eis facias, sed etiam multa; ait enim idem Salomon: "Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. " Secundo, si opus fuerit, multos adhibeas consiliarios; nam dixit Salomon in Proverbiis: "Dissipantur cogitationes ubi non est consilium: ubi vero plures consilarii sunt, confirmantur. "

Caput XVIII.

Quorum consilium sit vitandum.

De vitando consilio stultorum.

Viso et diligenter cognito, a quibus sit consilium postulandum, videamus, quorum consilium sit vitandum.

In primis itaque consilia stultorum penitus vitabis; stulti enim stultum diligunt et sua consilia ad stultitiam trahunt. Scriptum est enim: "Proprium est stultitia aliena vitia cernere, suorum autem oblivisci;" et Salomon dixit: "Cor sapientis in dextera, et os stulti in sinistra ejus;" unde alibi dixit: "In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui;" et iterum: "Via stulti recta est in oculis ejus, sapiens autem audit consilia. " Quare idem dixit: "Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente de super pilo, non auferetur ab eo stultitia. " Inde etiam ait: "Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. "

Caput XIX.

De vitando consilio adulatorum.

Similiter vitandum est consilium adulatorum et simulatorum et assentatorum, non solum in adversis, sed etiam in secundissimis rebus. Ait enim Tullius: "Etiam in secundissimis rebus maxime utendum est consiliis amicorum, hijsquemajor etiam quam ante tribuenda est auctoritas. Iisdem temporibus cavendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, ne adulari nos sinamus: in quo fallifacile est. Tales enim nos esse putamus, ut jure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridenturet in maximis versantur erroribus. " Unde sciendum est "nullam in amicitia pestem esse majorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. " Sed "licetperniciosa sit assentatio, tamen nocere nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui sibi assentetur et se maxime ipse delectet. " Unde Cato dixit:

Cum te alius laudat, judex tuus esse memento:

Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.

Inde et Seneca in Epistolis dixit: "Intus te ipsum considera: non qualis sis, aliis credas. " "Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. " Sapientius enim est "malle placere sibi quam populo. " Et de consilio capiendum in secundissimis rebus consonat Seneca, De Formula Honestæ Vitæ, dicens: "Tunc consilia salutaria tibi advoca, cum tibi alludit vitæ prosperitas: tunc te velut in lubrico retinebis ac sistes, nec tibi dabis impetus liberos, [sed circumspicies,] qua eundem sit et quousque. " In consiliis itaque et in aliis rebus "non acerba verba, sed blanda timebis. " Dixit enim Salomon: "Malus homo, qui blande loquitur, innocentium laeus est;" et iterum: "Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit pedibus ejus. " Et Tullius dixit "Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officii aut in aliquo necessitudinis nomine. " Secundum Tullium ergo "multo melius est de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur; illos sæpe verum dicere, hos nunquam. " Et Cato dixit:

Sermones blandos blæsosque vitare memento.

Non ergo movearis ad blanda verba, dulcia vel composita, sed ad rem tantum; ait enim Seneca in Epistolis: "Ad rem movearis, non ad verba composita;" nam "oratio ejus, qui veritati operam dat, incomposita debet esse et simplex. " Et licet te forte crederes sapientem, "non tamen tuæ prudentiæ innitaris, " sed consilio sapientiam ab alio investigabis, ut ait Cassiodorus: "Sapientiam quærit in altero apud quem est scientiæ magnitudo;" dubitare enim et a sapientibus consilium petere non est inutile nec verecundum.

Caput XX.

De vitando consilio illorum, qui sunt vel jam fuerunt inimici et postea in gratiam redierunt.

Item vitandum est illorum consilium, qui sunt vel jam fuerunt inimici, sed postea in gratiam redierunt. Scriptum est enim: "Nemo cum inimico tute in gratiam redit. " Quare Ysopus dixit:

Ne confidatis secreta nec hijs detegatis,

Cum quibus egistis pugna discrimina tristes.

Et alibi idem dixit:

Nulla fides hosti tibi sit, qui talia nosti,
Prorsus et hostilis tibi sit persuasio vilis.

Vapor enim odii semper latet in pectore inimici et, ut ait Seneca, "nunquam ubi diu fuit ignis deficit vapor. " Quare idem dixit: "Pro amico potius occidi expedit, quam cum inimico vivere. " Inde etiam Salomon dixit: "Inimico antiquo non credas in æternum; et si humiliatus vadit curvus, " non credas ei; captus enim utilitate, non amicitia, revertitur voluntate, ut capiat fugiendo, quod non potuit persequendo. " Et alibi idem dixit: "In oculis tuis illacrimabitur inimicus, et si viderit tempus, non satiabitur sanguine tuo. " Et Petrus Alfonsus dixit: "Ne associeris inimicis tuis, cum alios possis reperire socios; quæ enim male egeris notabunt, quæ vero bona fuerint, deviabunt. "

Caput XXI.

De vitando consilio illorum, qui non amore, sed timore reverentiam ostendunt.

Item vitandum est consilium illorum, qui non amore, sed timore tantum reverentiam ostendunt et dilectionem. Non enim sunt amici, sed odiosi inimici. Ait enim Tullius, De Officiis: "Omnium autem rerum nec quidquam est aptius ad opes tuendas et retinendas quam diligi, et nihil alieniusquam timeri. Prælare enim homines, quem metuunt, oderunt; quem quisque autem odit, perire expetit. Multorum autem odiis nullas opes obsistere posse, etsi autem ignotum fuerat, modo autem est cognitum. " Non ergo credas, bonum amicum vel consiliarium per metum posse acquiri, nam, ut quidam philosophus dixit, nemo ei satis fidus est, quem metuit. Quare idem Tullius dixit: "Malus custos diuturnitatis est metus, contraque benivolentia fidelis vel ad perpetuitatem. " "Qui vero in libera civitate ita se instituunt, ut metuantur, hijs nihil potest esse dementius. " "Etenim qui se metui volunt: a quibus metuantur, eosdem ut metuant ipsi necesse est. "

Blanditia, non imperio, vis crescit amoris.

Unde Martialis dixit:

Torvus et ore minax non rite possis amare:

Invitus nemo, nemo coactus amat.

Blanditia, non imperio, vis crescit amoris.

Vacca quidem taurum, sed et ipsa læna leonem

Iratos fugiunt, sed cupiunt placidos;

Dilige sic omnes, ut ameris ab omnibus unus.

Quærit amor pariles, dissimiles odium.

Et nota, quod non solum amicitia vel bonum consilium per metum vel timorem non acquiritur, sed etiam imperium premente metu perditur. Ait enim Tullius: "Nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna;" "multos enim timere debet, quem multi timent. " Unde Seneca in Epistolis dixit: "Nemo potest terribilis esse secure. "

Caput XXII.

De vitando consilio ebriosorum.

Item vitandum est consilium ebriosorum, qui secretum consilium celare non possunt. Ait

enim Salomon: "Nullum secretum, ubi regnat ebrietas. "

Caput XXIII.

De vitando consilio illorum, qui secreto aliud consulunt, et palam aliud se velle ostendunt.

Item vitandum et suspectum habendum est illorum consilium, qui secreto aliud consulunt, et palam aliud se velle ostendunt. Ait enim Cassiodorus: "Læsionis genus est aliud occulte dicere, et aliud velle monstrare. "

Caput XXIV.

De consilio mali hominis vitando et suspecto habendo.

Similiter vitandum est et suspectum habendum mali hominis consilium. Scriptum est enim: "Malus homo a se nunquam bonum consilium refert. "

Caput XXV.

De vitando consilio juvenis et suspecto habendo.

Item vitandum est consilium juvenum vel saltim suspicandum. Juvenes enim maturum sensum non habent, et juvenilia diligunt et eis inhærent. Non enim potest in eis succus diuturnus haberi, qui nimis celeriter sunt maturitatem adepti. Quare Salomon dixit: "Væ tibi, terra, cujus rexpuer est, et cujus principes mane comedunt. " Et Martialis tibi dixit:

Consilio juvenum fidis, Melibee: ruinam
Expectare potes, dum sine consilio es.
Caput XXVI.

De examinando consilio in genere.

Sequitur videre, quomodo examinandum sit consilium. Et certe in examinando consilio ita debes esse discretus, ut inspicias principium et finem, et, quæ sint in examinatione consilii utilia et necessaria, diligenter provideas.

In examinatione consilii itaque primo abicias et a te atque consiliariis penitus removeas ea, quæ supra dixi esse contraria consilio, videlicet iram, voluptatem seu cupiditatem tque festinantiam.

Secundo vero ad principium negotii te referas, quia "uniuscujusque reipotissima pars est principium. " Et etiam in contractibus uniuscujusque contractus initium spectandum est. Et etiam rationes, nisi a capite inspiciantur, intelligi non possunt, ut leges dicunt. Initia igitur sive principia rerum diligentissime circumspectanda sunt. Scriptum est enim:

Principiis obsta: sero medicina paratur.

Cum mala per longas convaluere moras.

"Omnia namque mala exempla orta sunt ex bonis initiis, " ut Salustius dixit. Et quia "in omnibus bonis duplicia mala invenies, " ut Jhesus Sirac dixit, ideo in principiis magis timere debes propter duplicia mala, quæ omnibus rebus insunt. Nam, si in bonis initiis periculum propter duplicia malavertitur, multo fortius in rebus male coeptis vel male provisus periculum versatur: quia "vix bono peraguntur exitu quæ malo sunt inchoata principio, " ut decreta dicunt. Quare non solum principium, sed etiam finem dictis et factis diligenter considerabis. Ait enim Pamphilus:

Principium finemque simul prudentia spectat.

Rerum finis habet crimen et omne decus.

Verbi principium, finem circumspecte verbi,

Ut melius possis præmeditata loqui.

Inde etiam Seneca in Epistolis dixit: "Facilius est initia vitiorum prohibere quam impetum regere;" et iterum: "Facilius est vitia excludere quam admissa comprimere;" "initia enim in potestate nostra sunt: de eventu fortuna judicat. " Prudenter ergo et cum magna dilatione consilia examinabis. "Prudentis enim proprium est consilia examinare, nec cito credulitate ad falsa prolabi."

In examinatione vero consilii et in aliis rebus, secundum Tullium hoc considerabis, videlicet "quid in unaquaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique rei sit, quid consequens, ex quibus quæque gignantur, quæ cujusque rei causa sit."

Quid verum sit, ideo inspicere debemus, quia "veritas semper est colenda, quæ sola Deo homines proximos facit, " cum ipse Deus veritas sit, ipso testante, qui ait: "Ego sum via et veritas et vita. " Quod autem adjecit Tullius sincerumque, hoc ideo ixit, quia sincera et pura veritas spectanda est, mendacio doloso penitus fugato. Quare dixit Cassiodorus: "Bonum est verum, si in eo nihil immisceatur adversum. " Et Dominus dixit: "Diabolus est mendax et pater ejus. " Et Salomon dixit: "Potius diligendus est fur quam assiduus in mendacio."

Super eo vero quod adjecit consentaneum, statim in negotio tibi proposito inspicere debes, utrum negotium illud vel consilium consentaneum sit rationi, an non. Similiter inspicere debes, qui consentiant huic negotio et voluntati tuæ atque consilio, et qui contradicant et quales, ut per hoc cognoscas, utrum negotium vel consilium perducere possit ad effectum, an minime. Similiter etiam inspicere ac providere debes, utrum voluntas tua vel consilium consentiat possibilitati tuæ, an non. Et in prædictis omnibus ita examinando provideas, ut appetitus tuus consentiat rationi, utilitati ac possibilitati.

Super tertio verbo, quod subicit Tullius, dicens quid consequens, sollicite provideas examinando, utrum ex consilio consequaris bonum an malum, utrum odium an amorem, [utrum] timorem an gratiam, utrum jus an injuriam, utrum pacem an guerram, utrum dampnum an utilitatem,

et aliamulta, quæ circa consequentiam notari possunt, quæ hic commodeenumerari non valent. In quibus omnibus bonum eligendum est et utilitasassumenda, odio et timore, injuria et guerra, et aliis malis penitus omissisatque remotis.

Super eo vero, quod quarto loco adjecit Tullius, videlicet ex quibusquæque gignantur, valde pensandum est, ut examines unumquodqueverbum consilii, an gignantur aliquid virtutis an vitii, an aliquid quodmerito debeat vitari, vel ex quo commoditas vel utilitas possit trahi.

Super quinto denique verbo, ubi Tullius dixit quæ cujusquerei causa sit, diligenter provideas examinando causas rerum, easquesollicite requirendo. Ait enim Seneca: "Cujusque facti causam require et, cum initia inveneris, exitus cogitabis, " de quo initio et exitu satis tibi supra dixi. Causam igitur requiras, scilicet efficientem, materialem, formalematque finalem; item causam principalem atque accidentalem, quæ potestdici occasio potius quam causa; item causam proximam atque remotam.

Ad hoc ergo, ut consilium bene examines et negotia tua prudenter pertractes, "in futura prospectum intende et, quæ possint contingere, animo tuocuncta propone. " Et non solum in futura, sed etiam in præterita intenderedebes. Ait enim Seneca, De Formula Honestæ Vitæ: "Siprudens es, animus tuus tribus temporibus dispensetur: præsentiaordina, futura provide, præterita recordare; nam qui nihil de præteritocogitat, perdit vitam; qui nihil de futuro præmeditatur, in omniaincautus incidit. Propone autem animo tuo et mala futura et bona, ut illasustinere possis, ista moderari. "

Caput XXVII.

Quando consilium sit assumendum vel approbandum.

Viso, quomodo examinandum sit consilium, videamus, quando sit assumendumet approbandum. Et certe assumendum et approbandum est consilium tunc demum, quando fuerit examinatum, et bonum ac utile fuerit visum. Et licet bonumvideatur consilium, non tamen statim illud sumere vel capere debes, seddiligenter inspicere, quomodo poteris perficere. Ait enim Tullius: "Adrem gerendam qui accedit, caveat, ne id solummodo consideret, quam illares honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipsoconsiderandum est, ne aut temere desperet propter cupiditatem. In omnibusautem negotiis, prius quam aggrediare, adhibenda præparatio est diligens. "Considera ergo, ne nimis capias; nam in proverbio dicitur: Qui nimis capit, parum stringit. Inde etiam Cato dixit:

Quod potes, id tempta, operis ne pondere pressus
Succumbat labor, et frustra temptata relinquo.

Talia enim incipere debes, quæ ad finem perducere possis, sicut dicitSeneca: "Majora te ne quæsieris. " "Id quære, quod potest inveniri;id disce, quod potest sciri; id opta, quod optari coram bonis potest. Nealtiori rei te imponas, in qua statim tremendum cavendumque sit. " Itemalibi dixit: Partendum est onus, sub quo in via deficias; nam qui volaresatagit, antequam pennas assumat, irremediabiliter corrui. Et si fortead bonitatem vel ad utilitatem vel etiam ad honorem tantummodo

respiceres, et non ad facultatem sive possibilitatem, cito accideret tibi quod supradixi:

Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,

Posse suum superans, se minus ipse potest.

Si autem fuerit consilium dubium, sive ad dictum sive ad factum pertineat, semper tacere vel non facere debes, et eligere potius non quam sic. Ait enim Petrus Alfunsus: "Si dicere metuas unde poeniteas, semper est melius non quam sic. " "Sapienti enim magis expedit pro se tacere, quam loqui contra se; quia paucos vel neminem tacendo, multos loquendo circumventos esse vidimus. " Verba enim sagittis sunt quasi similia: facile emittuntur, difficile retrahuntur vel emendantur; unde dici consuevit:

Evolat emissum semel irrevocabile verbum.

Quare in dubiis melius est tacere quam dicere, sicut et in factis dubiis melius est non facere quam facere, ut ait Tullius hoc modo dicens: "Beneprecipiunt, qui vetant quidquid agere, quod dubites æquum an iniquum sit. Æquitas enim per se lucet; dubitatio autem significationem continet injuriæ. " Et alius dixit: "Si quid dubitas, ne feceris; animi enim judicio quod negatum fuerit, fugito;" quia, ut supra dixi secundum Senecam, "solet esse in dubio pro consilio temeritas."

In omnibus denique prædictis ita per te et alios doctus sis, ut semper eligas bonum, veritatem, utilitatem, rationem atque justitiam, contrariis penitus omissis.

Caput XXVIII.

Quando et qualiter consilium sit retinendum.

Viso et cognito, quando et qualiter consilium sit capiendum sive assumendum, videamus, quando et qualiter consilium sit retinendum. Et certe consilium est retinendum, quando per probationem et experientiam apparuit bonum ac utile; nam, ut supra dixi, Paulus ait: "Omnia probate: quod bonum est tenete. " Et tunc magna constantia illud retinere debes; ait enim Cato:

Constans et lenis, ut res exoptulat, esto;

Temporibus mors sapiens sine crimine mutat.

Nam et Seneca, De Formula Honestæ Vitæ, dixit: "Mobilis esto non levis, constans non pertinax. " Constante ergo consilium servabis, non pertinaciter.

Caput XXIX.

Quando consilium vel promissum possit vel debeat mutari.

Nunc superest videre, quando consilium vel promissum mutari possit vel debeat. Et certe consilium mutari potest multis ex causis.

Mutari namque potest cessante causa, vel etiam nova causa superveniente; nam "cessante causa debet cessare effectus, " et quæ de novo emergunt, novo indigent consilio, ut leges dicunt. Quare dici consuevit:

Non credas stultum cum re mutare consultum.

Inde etiam Seneca dixit: Consilium tuum si audierit hostis, consilii dispositionem permutes.

Potest etiam et debet mutari consilium, si errore vel aliqua ex causamalum vel inutile fuerit captum, quod frequenter accidit; nam, ut ait Seneca, "sunt quædam, quæ non videntur bona esse, et sunt; et sunt, quæ videntur, et non sunt. " "Crebro quidem faciem mendacii veritas retinet; crebro mendacium specie veritatis occultatur. Nam sicut aliquando tristem faciem amicus, et blandam adulator ostendit: sic verisimile coloraretur, ut fallat vel subripiat, conatur. " Inde etiam Ovidius dixit:

Impia sub dulci melle venena latent.

Nam "in omnibus bonis duplicia mala invenies, " ut supra dixi.

Item mutandum est consilium, si turpe fuerit vel ex turpi causa; nam si ex prædictis causis etiam promissio facta esset, tamen effectum non teneret, quia vel ipso jure nulla esset, vel exceptio contra eam daretur; generaliter enim novimus, "turpes stipulationes nullius esse momenti, " ut leges dicunt.

Item mutandum est consilium, si ad peccatum pertineat, quia generaliter dici consuevit: "Nullum consilium est contra Dominum."

Et quod dixi tibi de promissione turpi non servanda, intelligas etiam de promissione impossibili vel de ea, quæ commode servari non potest, vel de ea promissione, quæ magis nocet promissori, quam prosit ei, cui promittitur, vel, etiam de illa, quæ inutilis est vel contraria ei cui promissio facta est. Ait enim Tullius: "Nec promissa servanda sunt, quæ sunt hijs, quibus promiseris, inutilia: nec si tibi plus noceant, quam illi prosint, cui quid promiseris. " Unde supra dixi: Sapiens non mentitur, cum suum propositum mutat in melius. Sicut enim "non videtur dejerare qui ex concessa causa deserit jusjurandum, " ut lex dicit: hoc denique servetur pro regula generali, quod per sapientes dici consuevit: "Malum est consilium, quod mutari non potest. " Quare hujusmodi juramenta, quæ dicuntur præcisa, videntur mala ideo quod in aliquibus sunt mutanda.

Prædictis notatis ac diligenter cognitis Melibues respondit dicens: Huc usque, domina mea, sufficienter de consiliis et circa consilia in genere me docuisti. Vellem tamen ut, ad speciem descendendo, consilium super hoc negotio præsentem mihi datum mecum examinarem, ita ut, utilitate provisæ et cognita, quod melius fuerit eligamus.

Prudentia dixit: Domine mi, rogo te ut, si forte aliquid dixerem, quod tibi displiceat, ad animum non revoces, quia in tui honorem atque utilitatem hoc dicam sperans, quod patienter sustinebis; nam "qui corripit hominem magis gratiam apud eum inveniet, quam qui per linguæ blandimenta decipit. " Scias igitur: consilium, quod dicis tibi datum, non potuit dici consilium, sed, salva pace tua, fuit quædam arreatio sive contentio improvida et indiscreta. Nam in multis capitulis errando malum consilium cepisti.

Caput XXX.

De errore consilii.

Primo enim errasti in congregatione consilii; nam primo debebas congregare paucos consilii habendi cause et postea, si opus fuisset, multos: tu statim a principio vocasti "multitudinem onerosam."

Secundo errasti quia, cum debuisses congregare bonos amicos ac sapientes ac peritos, probatos ac fideles inventos et maxime senes, tu cum prædictis congregasti quoslibet notos, etiam malos, juvenes ac stultos, adulatores quoque et simulatores et assentatores, et illos etiam, qui non amore sed timore tibi reverentiam ostendebant: quod minime facere debuisti.

Tertio vero errasti, quia cum ira simul et voluptate seu cupiditate atque festinantia tu iratus consilium postulasti, non removendo prædicta a te et a consiliariis tuis, quæ sunt contraria consilio.

Quarto vero errasti, quia, cum tuam voluntatem consiliariis ostendere minime debuisti, tu voluntatem tuam illis ostendendo, magnam affectionem de vindicta in continenti faciendam eis demonstrasti; quare consilarii, magis secuti tuam voluntatem quam tuam utilitatem, de vindicta in continenti tibi consuluerunt.

Quinto errasti, quia unico consilio contentus fuisti, cum in tam arduo negotio multa consilia sint necessaria.

Sexto errasti, quia non examinasti consilium.

Septimo demum errasti quia, facta partita, non es secutus voluntatem et sensum sapientium et amicorum, sed potius voluntatem ac sensum multitudinis stultorum atque errantium. Si enim ad multitudinem, et non ad sensum respexeris, nunquam bonum consilium habere valebis; nam stultos semper invenies in contemptum, quam sapientes; et stulti stulta diligunt, et animum suum semper ad stultitiam inclinant; sapientes vero pauci paucos inveniunt sapientes; quare in partitis, quæ in consiliis fieri consueverunt, semper succumbunt. Inde est, quod in partitis, quæ in consiliis civitatum fieri consueverunt, consilia semper malum sortuntur effectum, sed voluntatem multitudinis, et non paucorum sapientiam, sectantur.

Melibeus respondit: Bene confiteor me errasse; verum quia supra mihi dixisti, me licite consilium posse post examinationem, et etiam post captionem mutare, licet melius fuisset ab initio malum et indiscretum consilium non capere, quam captum postea mutare, tamen post examinationem de novo faciendam ad tuam voluntatem sum mutare paratus; "humanum enim est

peccare, diabolicumvero perseverare."

Tunc Prudentia respondit: Consilium, quod dicis factum, nullo jure in factum fieri potest. Ait enim lex: Factæ autem res nulla constitutione in factum fieri possunt. Verumtamen, quod factum est, examinari potest et, errore depulso, utilitas discerni atque assumi.

Caput XXXI.

De examinatione consilii in specie.

Examinemus itaque illud quale consilium, utilitatem dante Domino assumpturi. Ut igitur examinatio recte fieri valeat, a capite incipiendo, singula dispiciamus.

Consilium quippe medicorum de cyurgia rectum et bonum fuit; nam "ad illorum officium spectat omnibus prodesse et nulli nocere" et artem suam sollicitè prosequi, ut sapienter dixerunt. Remunera ergo illos largissime, ut gaudentes atque sollicitè artem suam prosequentes, tam suam quam filiæ tuæ faciendo utilitatem, illam velociter, dante Domino, ad sanitatem, perducant. Licet enim amici tui sint, nihilominus tamen sunt remunerandi. Frequenter enim accidit, ut medici aliique de artibus singulis præponant amicitiam utilitatem pecuniariam et, ubi sentiunt lucrum, ibi magis procurent. Et quod dixi de medicis cyurgiæ, idem intelligo de consiliophysicorum, qui quasi eadem dixerunt. Volo tamen audire, qualiter intelligas verbum dubium, quod protulerunt, scilicet: contraria contrariis curantur.

Melibeus respondit: Intelligo contrarium, quod fecerunt mihi inimici mei, posse curari per aliud contrarium, quod eis facere volo; injuriam ergo mihi factam per vindictam contra illos faciendam et injuriam, quam eis faciam, curabo.

Prudentia dixit: Facile credunt homines quod volunt, et animum suum ad suum desiderium velociter inclinant. Ego autem illud verbum non ita intelligo; nam malum non est contrarium malo, nec injuria injuriæ, nec vindicta vindictæ, sed sunt similia. Per vindictam namque vel injuriam non curatur injuria vel alia vindicta, immo augmentantur et crescunt. Intelligo itaque, malum contrarium esse bono, pacem guerræ, concordiam discordiæ, frigidum calido; et ita infinita possent poni exempla. Secundum ergo dictum illud oportet contra discordiam opponere concordiam, et contra guerram opponere pacem. Et etiam secundum beatum Paulum, qui dixit in Epistola ad Romanos: "Noli vinci a malo, sed vince in bono malum;" et iterum in eadem Epistola subicit: "Itaque quæ pacis sunt, sectemur;" et supra in eadem Epistola dixerat: "Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes."

Nunc accedamus ad examinationem et expositionem consilii, quod dederunt tibi causidici sapientes ac senes, qui quasi eadem consuluerunt dicentes, ut personam tuam super omnia

custodias, et domum tuam diligenter munias, allegantes etiam, non esse in talibus subito nec festinanter procedendum, sed cum diligenti provisione ac præparatione et deliberatione maximasollicitaque cura omnia esse peragenda. Et certe, cum istud consilium planumac rectum sit, et ab omnibus sapientibus valeat propter rationes sibi assignatasmerito comprobari, meo arbitrio in paucis indiget examinatione vel expositione. Quod enim dixerunt de tuæ personæ custodia bene notandum est.

Caput XXXII.

De custodia personæ in guerra constitutæ.

Scire enim debes, quod qui guerram habet multipliciter se custodiredebet.

In primis igitur custodiam a Deo postulare suppliciter ac devote debes, a quo est "omne datum optimum" et sine cujus auxilio nihil bene valet custodiri. Propheta hoc testante, qui ait: "Nisi Dominus custodierit civitatem, frustravigilat qui custodit eam."

Secundo custodiam tui committas probatis et notis ac fidelibus amicis, ab illis auxilium, si opus est, ad tui custodiam postulando. Ait enim Cato:

Auxilium a notis petito, si forte laboras.

Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus.

Tertio custodias te ab omnibus extraneis et ignotis, illos semper suspicando. Ait enim Petrus Alfunsus: "Ne aggrediaris viam cum aliquo, nisi eum priuscognoveris; et si tibi in via ignotus se associaverit, iterque tuum investigaverit, dic te velle longius ire quam disposueris; et si detulerit lanceam, vadea dextris: si ensem, vade a sinistris."

Quarto custodias te sagaciter ab omnibus illis, quorum consilium tibidixi esse vitandum, supra in titulo: Quorum consilium sit vitandum.

Quinto vero ita de custodias, ut vilipendendo parvum inimicum custodiamtui non omittas. Sapiens enim in omnibus metuit, et maxime inimicos. UndeSalomon dixit: "Beatus homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis estduræ, corruet in malum. " Timere ergo debes omnes insidias; dixitenim Seneca: "Qui omnes insidias timet, in nullas incidet;" et iterum idemait: "Semper metuendo sapiens vitat malum;" unde alibi idem dixit: "Noncito perit ruina, qui ruinam timet. " Et licet videatur tibi, te bene essetutum et in tuto loco, nihilominus tamen tibi cavere debes. Ait enim idemSeneca: "Caret periculo, qui etiam tutus cavet. " Et timere debes non solummagna, sed etiam modica et parva, et non solum magnos inimicos, sed etiamparvos. Scriptum est enim: "Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere. "Inde etiam Ovidius, De Remedio Amoris, dixit:

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum;

A cane non magno sæpe tenetur aper.

Et Pamphilus ait:

Res tamen interdum grandia parva movet;
Ex minima magnus scintilla nascitur ignis,
Et generat parvum grandia principium.
Et alibi:

Causa pusilla nocet, sapiensque nocentia vitat.

Et Martialis dixit:

Quem leo non tetigit, dum mordet aranea lædit.

Æmule, non tantum grandia, parva cave.

Sed licet ita timere debeas, non tamen debes esse nimis timidus. Ait enim Seneca: "Pericula timidus, etiam quæ non sunt, videt." Et alibi idem ait: "Cotidie dampnatur, qui semper timet." Et alibi scriptum est: "Quidam fallere docuerunt, dum falli timent." Et etiam Cato dixit:

Nam timidis et suspectis aptissima mors est.

Sexto denique custodire te debes a veneno et toxico et ab omnium irrisorum et malorum consortio vel colloquio. Scriptum est namque: Cum irrisore consortium non habeas: loquelæ ejus assiduitatem quasi toxica fugias. Societas ejus tui laqueus est, alternaque affabilitas despectio.

Similiter illud, quod consuluerunt idem sapientes dicendo, ut domum tuam diligenter munias, examinatione et expositione indiget. Quare a te volo audire, quomodo illud verbum intelligas.

Melibeus respondit: Credo, illos intellexisse, ut debeam munire domum meam turribus et aliis altis ædificiis, quarum vel quorum munimine tueri me valeam, et inimici timeant offensionis causa illic accedere.

Caput XXXIII.

De turribus.

Prudentia respondit: Munitio turrium et aliorum aliorum ædificiorum ad superbiam plerumque pertinet, et timor et odium inde generatur, ita quod vicini amici propter timorem fiunt inimici, et omnia mala inde nascuntur, quæ occasione timoris notavi tibi supra in titulo: De vitanda consilio illorum, qui non amore, sed timore reverentiam ostendunt. Quare Salomon dixit: "Qui altam facit domum suam, quærit ruinam; et quærit discere, incidet in mala." Præterea tures cum magno labore et infinitis expensis fiunt; et etiam cum factæ fuerint, nihil valent, nisi cum auxilio prudentium et fidelium amicorum et cum magnis expensis defendantur. De qua superbia Jhesus Sirac dixit:

Caput XXXIV.

De superbia.

"Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum recessit cor ejus;

quoniam initium peccati omnis superbia. "Et iterum idem dixit: "Odibilis est coram Deo et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas. " Et iterum idem ait: "Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam; et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia. " Inde etiam Sapiens dixit: "Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia: ubi autem humilitas, ibi et sapientia" simul cum gloria. Et iterum idem ait: "Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritum suscipiet gloria. "Et iterum idem ait: "Contritionem præcedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus. " Et etiam Job dixit: "Si ascenderit usque ad cælum superbia, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur. "Cum ergo tam detestabilis sit superbia, totque mala oriuntur ex ea et infinita alia, quæ notantur in libro De Forma Vitæ, in titulo: De amicicia superbi vel perversi hominis vitanda; et etiam cum ex turribus tot mala nascantur, meo arbitrio nunquam tures sunt faciendæ, nisi tunc demum quando aliæ munitiones deficiunt vel non sufficiunt.

At Melibeus respondens dixit: Quomodo domum meam aliter munire valeam?

Prudentia respondit dicens:

Caput XXXV.

De munitione.

Munitio multiplex est. Est enim munitio, quæ ad dilectionem pertinet, ut amor civium; et hæc inexpugnabilis est; de qua Tullius dixit: "Unum est inexpugnabile munimentum: amor civium."

Est alia munitio, quæ roborat animam et corpus, videlicet virtus; et hæc similiter inexpugnabilis est; de qua Ysopus dixit:

Non ope lorice nec egebit acumine sicæ
More nec hostili cujusque juvamine pili.
Solo virtutum quem constat robore tutum.

Sunt et aliæ munitiones, quæ ad defensionem tantum pertinent, ut sunt fossata, spaldi, aggeres et similia.

Sunt denique aliæ munitiones, quæ ad defensionem principaliter fiunt, licet ex hijs etiam offensiones fieri valeant, ut sunt sagittæ et balistæ et alia arma, quibus omnibus munitionibus domum tuam et corpus, quod est domus animæ tuæ, melius quam per tures potes munire.

Quod vero sapientes et senes in fine consuluerunt: In hoc negotio non est subito nec festinanter procedendum; sed cum diligenti provisione ac præparatione et deliberatione sollicitaque cura omnia sunt peragenda: bene puto dictum ac sapienter. Ait enim Tullius: "In omnibus negotiis, prius quam aggrediari, adhibenda est præparatio diligens, " Ergo in vindicta et in munitione facienda et in guerra et in bello et in omnibus negotiis, ante ingressum vel aggressum, præparatio ac provisio necessariæ sunt, si commode fieri possunt; nam, ut idem ait, longa præparatio belli celerem victoriam

facit. Et etiam Cassiodorus dixit: "Munitio quippetunc efficitur prævalida, si diuturna fuerit cogitatione roborata. Omnia subita probantur incauta, et male constructio loci tunc quæritur, quando jam pericula formidantur. " "Res ergo proeliorum bene disponitur, quoties in pace tractatur, " et "munitio semper tractanda in otio esset:quia tunc male quæritur, cum necessaria judicatur;" "omnia vero deliberatasunt robusta."

Nunc accedamus ad examinandum in specie consilium, quod dicis tibi datuma vicinis, timore dilectionem ostendentibus, et inimicis quondam, qui modoin gratiam tuam redierunt; et ab adulatoribus sive assentatoribus atqueab illis, qui secreto tibi ad aures aliter consuluerunt, quam palam verbisostenderent; et a juvenibus, qui tibi consuluerunt, vindictam in continentifaciendam et guerram viriliter et potenti manu peragendum. Et certe inhujusmodi consiliariis, ut supra tibi dixi, multum errasti, quia illosad consilium vocare minime debuisti; et, si bene recordaris, istud qualeconsilium quasi examinatum est supra in titulo: Quorum consilium sitvitandum et in sequentibus rubricis usque ad titulum: Quando consiliumsit assumendum. Verumtamen quia ibi in genere dicta sunt, descendamusad speciem, præfatum consilium examinantes.

Videamus itaque secundum Tullium in primis, quid in hac re verum sincerumquesit; secundo, quid consentaneum sit huic rei, quam facere vis, id est vindictæ;tertio, quid consequens; quarto, quid gignatur ex hac vindicta; quinto, quæ fuit causa injuriæ tibi illatæ, et quare Deus permisit, tibi hanc injuriam fieri.

Et certe, de veritate sincera hujus negotii non oportet multum inquirere, quia tu bene nosti, qui fuerunt illi et quot [et quales], qui hanc injuriamtibi intulerunt, et quando et quomodo, et qualem injuriam fecerunt.

Examinemus ergo, quid consentaneum huic rei sit, id est, qui et quotet quales consentiant voluntati et consilio tuo, et qui et quot et qualesconsentiant cum inimicis et adversariis illi, quos supra nominavi, id estmulti juvenes et vicini, et agnati atque cognati, et illi, qui tibi consuluerunt, vindictam in continenti faciendam. Sed videamus et inquiremus, quis estu, et qui et quot et quales sint illi, quos dicis esse tuos amicos. Circatuam itaque personam notare potes et debes quod, licet magnus sis et diveset potens, solus tamen existis et permanes. Non enim habes filios masculos, neque fratres vel consanguineos germanos vel alios necessarios, quorumtimore inimici tui a destructione tuæ personæ cessarent; et, destructa persona, bene nosti, quod divitiarum multitudo dispergitur etnihil valet. Inimici vero tui sunt tres, et multos habent filios et germanoset alios necessarios, quorum si vindictam faciendo duos vel tres occideris, alii remanerent, qui personam tuam cito destruere valerent. Circa illosalios tuos amicos notare debes quod, licet multo plures sint quam inimicorumamici, tamen non sunt tales ut sui; nam sui sunt necessarii et propinqui, tui vero sunt remoti et longinqua parentela conjuncti. Ita circa illos, qui consentiunt tibi vel illis, et circa principales personas, illorumconditio valde melior est quam tua.

Secundo videamus super prædicto verbo consentaneum, utrumconsilium, quod recipisti, videlicet de vindicta faciendam, consentaneumsit rationi, an non. Et certe non est consentaneum rationi, quia de jurevindicta nulli nisi judici jurisdictionem habenti permittitur, licet defensioin continenti permittatur quibusdam, si fiat cum moderamine inculpatætutelæ, ut leges dicunt.

Caput XXXVI.

Quot modis dicatur quis posse.

Tertio vero super eodem verbo consentaneum videamus, utrum voluntastua vel consilium consentiat possibilitati tuæ vel potentiætuae, an non. Et certe posse sive possibilitas multis modis dicitur. Dicitur enim posse, quod commode fieri potest, et ita appellaturpossecommoditatis. Dicitur etiam quandoque posse, scilicetæquitatis, de quo posse dicitur, quod "ea facta, quæ pietatem, æstimationemet verecundiam nostram lædunt, et generaliter, quæ contra bonosmores fiunt, nec nos facere posse credendum est, " et hæc per legesprobantur. Et de hoc posse dicit Marcus in Evangelio suo de Christo:"Et non poterat ibi multas virtutes facere. " Et Apostolus in Epistola suasecunda ad Corinthios juxta finem dicit: "Non enim possumus aliquid adversusveritatem, sed pro veritate. " Aliter vero dicitur posse potestatis, unde Dominus in passione sua ad Petrum ait: "An putas, quia non possumrogare patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?"Aliter dicitur posse possibilitatis, de quo dixit Dominus ad Moisein Exodo: "Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, etvivet. " Aliter dicitur posse facultatis vel facilitatis veletiam probitatis de quo Dominus in Evangelio Matthæi dixit:"Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?" Aliter dicitur possegratiæ, de quo in libro Sapientiæ in persona Sapientiædicitur: "Et ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deusdet" et cetera. Et Dominus in Evangelio dixit: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater mus traxerit illum. " Aliter vero ponitur in legibus posse, id est debere. Et etiam super hoc verbo posse hij versusdici consueverunt:

Posse quidem rebus dat jus, natura, potestas,
Officii meritum, quintum divina voluntas.

Et si omnes significationes hujus verbi posse vel potestatis velpotentiae diligenter inspexeris, tuum posse vel potestas sive possibilitasvel potentia non consonat nec consentaneum est voluntati tuæ velconsilio ita, ut vindictam facere possis tua auctoritate, nisi forte, possetuum vel potentiam commodam superando, fines posse vel potentiae tuæcum dampno et malo tuo excederes, quod facere minime debes. Non ergo excedastuum posse; nam scriptum est:

Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,
Posse suum superans, se minus ipse potest.

Et iterum:

Ultra posse suum nullum lex justa coegit.

Non reor esse reum, qui totum posse peregit.

Non itaque facias vindictam excedendo tuum posse. Qui enim vindictam vultfacere vel cum alio pugnare, cum adversarii dampno et sui custodia hocdebet peragere. Scriptum est enim: Non bene pugnat, qui voluntate aliumsuperandi se denudat; et iterum: Ita alium vulneres, ne tu pateas ad plagam;et iterum: Si extendas brachium, videas, ne tibi latus denudetur. Nam omnessimul pereunt, qui imperite et ignaviter pugnant: alioquin quemlibet possentoccidere, et etiam regem. Vulgo enim dici consuevit: Qui vult mori velperire, regem potest occidere; et: Male suam injuriam vindicat, qui vindictamfaciendo illam pejorat.

Super hoc itaque verbo consentaneum tria breviter notabis, utprimo requiras, qui consentiant tuo proposito, et qui contradicant. Secundo, utrum propositum tuum rationi sit consentaneum, an non. Tertio, utrum consentaneumsit potentiae tuæ sive possibilitati, an minime. Et ista superho verbo

consentaneum dicta sufficient.

Sequitur videre examinationem super tertio verbo, ubi dixi consequens, super quo breviter notabis, quod ad vindictam, quam facere vis, consequens est alia vindicta, periculum et guerra; atque infinita dampna et incommoda sunt secutura.

Super quarto vero articulo, ubi dixi ex quibus quæque gignantur; scire debes, quod genita fuit tibi injuria ex odio inimicorum tuorum; et ex vindicta gignitur alia rixa; ex rixa vero gignitur et oritur odium et guerra; ex guerra vero seditio et substantiæ consumptio, necessitas et bella atque innumerabilia mala gignuntur atque nascuntur.

Quinto videamus examinationem super illo verbo quæ ejusque rei causa sit.

Caput XXXVII.

Super causa.

Causa igitur injuriæ tibi illatæ duplex fuit efficiens, scilicet remotissima et proxima. Remotissima causa efficiens fuit Deus, qui est causa efficiens omnium causarum, "per quem omnia fiunt, et sine ipso factum est nihil," ut in Evangelio dicitur. Causa vero efficiens proxima fuerunt illi tres tui hostes, qui hoc maleficium commiserunt. Occasio vero illius causæ, quæ dicitur causa accidentalisis, fuit odium, quod ipsi habebant contra te, atque facta præcedentia. Causa materialis fuit illud maleficium plagæ et feritæ in filiam tuam factæ. Causa autem formalis fuit forma illius maleficii, quia cum hac forma fecerunt, id est, ascendendo per scalas et intrando per fenestras. Causa vero finalis illorum fuit circa illud maleficium, quia voluerunt filiam tuam interficere vel occidere et ad finem mortis perducere; nec per eos remansit. Causam vero finalem remotam, id est, ad quem finem debeant pervenire, adhuc non scire possumus, nisi forte per credulitatem vel præsumptionem. Crederenamque et præsumere possumus, quod ad malum finem inde pervenient; quia, ut supra dixi: "vix bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoata principio."

Causam autem, quare Deus permisit tibi hanc injuriam fieri, similiter non possumus scire, nisi per credulitatem vel præsumptionem; nam sicut "de occultis alieni cordis judicare stultum est," ut dicit beatus Prosper et etiam beatus Paulus in Epistola prima ad Corinthios, ita de factis Dei nullus judicare debet vel potest. Per credulitatem vel præsumptionem dico, quod in mundo "nihil agitur sine causa, nec mundus fortuitis casibus implicatur," ut Cassiodorus dixit. Credo itaque, quod Deus justus justæ causa hoc tibi contingere permisit. Causa namque meo arbitrio fuit quod, nec Deum timendo nec hominem reverendo, secutus es nomen tuum. Compositum enim ex mel et bibens: inde dicitur Melibeus. Bibendo enim de melle atque hujus mundi dulcedine inebriatus es ita, quod dereliquisti Dominum factorem tuum et, confisus in multitudine divitiarum tuarum prævaluisti in vanitate tua, et omnia quæcunque desideraverunt oculi tui, non negasti eis, tradens oblivioni scripturam, quæ dicit: "Nunquam bibes mel sine veneno," et scripturam Ovidii dicentis:

Impia sub dulci melle venena latent Æ'

et dictum Salomonis in Proverbiis dicentis: "Mel invenisti, comede quod tibi sufficit, ne forte satiatus evomas illud." Quare forte Deus, avertendo faciem suam a te, permisit hæc tibi contingere, puniendo te in eo, in quo deliquisti. Deliquisti etenim vel peccasti permittendo te a tribus hostibus tuis superari animamque tuam capriviari, videlicet a carne et a mundo et a dyabolo, qui sunt tres hostes tui et totius humani generis inimici. Quos hostes permisisti per fenestras tui corporis intrare, videlicet per os et nares et oculos et aures. Qui tres hostes, per dictas fenestras intrando, te animamque tuam quinque plagis affecerunt, videlicet illis quinque, quæ gignuntur et oriuntur ex quinque sensibus, videlicet ex visu, auditu, gustu, odoratu et tactu. Ad similitudinem itaque prædictam forte indignatus Deus permisit, filiam tuam a tribus hostibus, per fenestras cum scalis ascendentibus, quinque plagis corporalibus vulnerari, videlicet in oculo, naso, ore, manibus et auribus, ad hoc ut deberes recordari, Christum quinque plagas in corpore suo pertulisse, ut te et filiam tuam et totum humanum genus a talibus hostibus ac plagis redimeret, salvaret atque sanaret.

Melibeus respondit: Licet alia a te prolata vera sint vel verisimilia, non tamen credo, quod voluntas Dei fuerit, ut talia maleficia deberent committi. Deo enim placet ejusque voluntas est, ut homines bene faciant, nec talia maleficia committant, ut omnes fere scripturæ divinæ clamant.

At Prudentia respondit:

Caput XXXVIII.

De quintuplici Dei voluntate.

Quintuplex est Dei voluntas: alia enim est præceptiva, alia prohibitive, tertia permissiva, quarta consultiva, quinta completiva. Unde versus:

Præcipit et prohibet, permittit, consulit, implet.

Præcipit enim, cum dicit: "Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua et proximum tuum sicut te ipsum;" et tunc est præceptiva Dei voluntas. Prohibitiva vero est, cum prohibet aliquid fieri, ut cum dicit: "Non moechaberis, non adulterabis, non furtum facies" et cetera similia. Permissiva est Dei voluntas, quando alicui indigno denegat gratiam suam, avertendo faciem suam ab eo propter peccata sua, et ita subtrahendo illam quodammodo videtur permittere tali indigno peccare, atque per alios peccatores permittit eum puniri: et ita in te fieri permisit. Consultiva est Dei voluntas, quando alicui consulit, ut cum dicit: "Vade et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, si vis esse perfectus." Impletiva vero est, quando complet quod sibi placet: omnia enim complere valet.

Melibeus respondit: In verbis planis et suavibus me semper videris inducere, ut a vindicta me debeam abstinere, monstrando pericula, quæ mihi possent evenire. Sed certe, nullus unquam vindictam faceret, si omnia, quæ possent ex ea contingere, cogitaret; et sic maleficia manerent inulta vel impunita, quod esse minime debet. Multa enim bona proveniunt ex vindicta; nam malefactores occiduntur, et alii taliter deterrentur, quod de cetero similia facere non præsumant. Sicut enim "multis minatur, qui uni facit injuriam," ita multos a maleficio faciendo removet, multaque maleficia prohibet, qui vindictam in malefactores potenter exercet.

At Prudentia respondit:

Caput XXXIX.

De officio iudicis circa vindictam.

Quæ dixisti vera sunt, et locum habent in iudiciis imperium vel jurisdictionem habentibus; ad illos namque pertinet malefactores puniendo vindictam exercere ac malos homines terrere. Ait enim Cassiodorus: "Excessus tunc fiunt in formidine, cum creduntur iudicibus displicere. " Plus etiam dico quod, sicut quilibet singulariter vindictam faciendo peccaret, ita iudex vindictam omittendo non esset a peccato immunis. Non ergo parcere debet iudex malefactoribus; nam, ut ait Seneca, "bonis nocet, qui malis parcit. " Et alibi dixit: Iudex, "qui dubitat ulcisci, multos improbos facit;" et iterum: Iudex, "qui non corripit peccantem, peccare imperat. " Unde alius dixit:

Criminis indulti secreta audacia crescit.

Vindictam ergo iudex facere debet puniendo homines corporaliter et pecunialiter. De corporali vindicta dicit Paulus in Epistola ad Romanos: "Iudex non sine causa gladium portat, " sed ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum. Boni namque iudices diligere potius quam timere debent; ait enim idem Paulus: "Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: et habebis laudem ex illa. " Mali vero debent iudicem timere; unde idem ait: "Si malefeceris, time. " Unde scriptum est:

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine poenæ.

Iudex ergo potest et debet cum severitate facinorosos necare, mulctare, castigare, bonis spoliare, nec pati suum imperium in aliquo contempni, ut leges clamant. Et etiam Tullius dixit: "Neque est enim contra naturam spoliare, si possis, quem est honestum necare. " Et Cassiodorus dixit: "Imperium, si in parvo contempnitur, in omni parte violatur. " Si ergo prædicta diligenter inspexeris, et etiam quæ plenius de vindicta notata sunt in libro De Forma Vitæ, in titulo: De vindicta facienda, bene intellexeris, aperte poteris cognoscere, vindictam ad solum Deum vel ad iudicem secularem, et non ad te vel ad alium singulariter pertinere. Itaque, si vindictam facere desideras, ad iudicem jurisdictionem vel imperium habentem recurras, qui iustitia mediante adversarios tuos debita coercionem punire non tardabit. Aut enim punientur corporaliter inimici tui, aut injuriam condemnati efficiuntur infames; et sic, post amissionem magnæ quantitatis substantiæ, infamati ac depauperati cum dedecore ac vituperio vivunt.

At Melibeus dixit: Talis vindicta mihi displicet; nam de infamia vel pecuniæ amissione parum curant. Ego vero si emendam pro injuriis mihi et filiæ meæ illata susciperem, sine dedecore ac vituperio cetero vivere non valerem. Spreta itaque vindicta judiciali, fortunam volo temptare atque, vindictam per me faciendo, fortunæ adhærere; quia fortuna usque nunc me fovit et, dante Domino, ad vindictam me adjuvabit.

Caput XL.

De fortuna.

Prudentia respondit: Meo consilio fortunam non temptabis nec, vindictamper te faciendo, illi adhærebis; et hoc dico multis rationibus. Primaratione, quia "male geritur, quidquid fortuna geritur fide, " ut Senecain Epistolis dixit. Secunda ratione, quia "fortuna vitrea est et, cum splendet, frangitur, " ut idem ait. Tertia vero ratione, quia hoc faciendonaturam excederes atque omitteres, ut idem ait: Homines cum se fortunæpermittunt, naturam dediscunt. Quarta vero ratione, quia "fortuna, sicutmedicus imperitus, multos necat. " Quinta ratione, quia fortuna non adjuvat, sed "occupat adhærentem sibi. " Non igitur fortunæ inhæreas, nec aliquo modo in illa confidas; non enim stabilis est vel perpetua. Scriptumest namque: In hoc mundo instabili nihil potest esse stabile. Et idem Senecadixit: "Nec vita nec fortuna perpetua est hominibus. " Cum ergo fortunasilubrica, et invita detineri non possit, erras si credis, quod semper te fovebit, ideo quod hactenus te fovit: immo contrarium credere potes;nam si fortuna usque nunc te nimium fovit, te stultum fecit. Scriptum estnamque: "Fortuna quem nimium fovet, stultum facit. " Non ergo confidas instultitia a fortuna tibi collata; raro enim aut nunquam consuevit prodessestultitia. Esto itaque sapiens, et vince fortunam virtute; ait enim Senecain Epistolis: "Sapiens vincit fortunam virtute. " Nec credas, fortunamte posse juvare; nam, ut idem ait, "errant qui dicunt, fortunam nobis tribuerealiquid boni vel mali. " Et hoc intelligas de illa, quam homines simplicesfortunam appellant; ait enim Boetius in libro secundo De Consolatione:Nihil enim est fortuna, nisi secundum opinionem vulgi. Quare Cato dixit:

Cum sis incautus, nec te ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

Et exponitur ibi sic: Noli fortunam dicere cæcam, quæ non est, id est, quæ nihil est. Si autem crederes, Dominumesse fortunam, recte putares, illum mala posse auferre et bona cuncta tribuerevalere. Si ergo vindicta prædicta judicialis tibi displicet, et vindictamomnino desideras, ad summum et verum judicem recurras, qui nullam injuriamrelinquens inultam te optime vindicabit, ipsomet testante, qui dixit: "Mihivindictam et ego retribuam. " Et etiam Apostolus in Epistola ad Colossensesait: "Qui enim injuriam facit, accipiet quod inique gessit. " Et non solumte vindicabit, sed etiam omnem rancorem omnemque fluctuationem a cordetuo removebit atque evellet; ait enim Propheta: "Jacta super Dominum curamtuam, et ipse te enutriet, et non dabit in æternum fluctuationemjusto."

Melibeus respondit: Si, tollerando injuriam, vindictam non fecero, inimicosmeos et alios homines ad novam injuriam mihi faciendam invitabo. Scriptumest enim: "Veterem patiendo injuriam, invitas novam. " Invitando itaque novam injuriam, tot mihi undique fient injuriæ, quod eas non poteropati. Scriptum est enim: "Patendo multa venient, quæ nequeas pati. "Talis ergo patientia pessima est, vindicta vero est optima.

At Prudentia respondit: Prædictæ duæ auctoritateslocum habent in iudicibus potius quam in aliis hominibus; nam si iudicesmaleficia non vindicant, non solum novam injuriam invitant, sed etiam denovo peccare imperant et, si multa maleficia patiuntur fieri, venient quænon poterunt pati; quia malefactores tot mala committent, quæ tollerarinon poterunt: et ita ab officio expellentur. Tales itaque iudices et potestatespotius eligant, maleficia et malefactores investigare, sollicite insequi atque punire, quam patiantur ab eis contempni et deici atque cum suo vituperioa dignitate et officio removeri. Et etiam si crederes, prædictasauctoritates etiam in aliis hominibus locum habere, non tamen in hoc casupatientia esset detestabilis, ut dicis. Bene namque per superiora cognovisti,

tuam voluntatem circa vindictam non esse consentaneam rationi nec tuæpossibilitati. Nam ratio prohibet, vindictam ex intervallo fieri; et quodratione caret non potest esse diuturnum. Scriptum est enim: "Vis vinceretotum mundum, te subice rationi. " Quare puto quod, si quis contra rationemfacit, merito et jure in omni negotio subcumbere debet. Possibilitas verotua non est, computatione facta, æqualis adversariorum tuorum potentiaesive possibilitati, ut supra notavimus, immo est valde minor, ita quodnon potes vindictam facere sine periculo ac destructione tuæ personæ. Quare in hoc casu non puto, patientiam esse pessimam, ut dixisti, sed valdeoptimam. Scriptum est namque:

Caput XLI.

De contentionibus.

"Contendere cum superiori furiosum est vel periculosum, cum pari dubium, cum minore verecundum. " Puto itaque utile contentiones fugere; et qui nonpotest potentioribus resistere, procuret sollicite, ut eisdem valeat placere. Et non solum contendere vel violenter resistere potentioribus est furiosum, sed etiam irasci cum potenti est periculosum; ait enim Seneca: "Potentiirasci periculum est quærere. " Quare, si potentior aliquem læserit, tutius est illi læso potius pati, quam cum illo irasci; quod et Catovoluisse videtur, cum dixit:

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti:

Lædere qui potuit, aliquando prodesse valebit.

Si ergo potens te lædat vel tecum irascatur, non ad vindictam, sedad, "patientiaæ portum" recurras.

Caput XLII.

De patientia.

Est enim patientia æquanimis tollerantia illatorum; vel "patientiaest virtus contumeliarum et omnis adversitatis impetus æquanimiterportans;" vel "patientia est remedium injuriarum, " ut in Moraliu Dogmatecontinetur.

"Patientia itaque occultas habet divitias;" "patiens enim et fortisse ipsum felicem facit, " et "dolori eujusque remedium est patientia. " Etcerte a quibusdam dicitur, plus valere patientiam omnibus aliis virtutibus;unde versus:

Nulla valet tantum virtus, patientia quantum.

Et iterum:

Ã· Virtus vidua est, quam non patientia firmat.

Et etiam Cato dixit:

Maxima enim morum est semper patientia virtus.

Et Socrates dixit: "Patientia est portus miseriarum. " Hoc denique scias, quod non bene doctus est, qui bene pati non potest; ait enim Salomon: "Doctrinaviri per patientiam ejus

cognoscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi;"et iterum: "Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens, exaltabit stultitiam suam;" et alibi: "Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas."

Et nota quod, sicut patientia optima est, ita impatientia pessima est; nam, ut idem ait, "qui impatiens est, sustinebit dampnum; et cum rapuerit, aliud apponet. " Per impatientiam namque immiscet se quis quandoque rei ad se non pertinenti, quod est culpa simul et stultitia; unde regula jurisdicit: "Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. " Quare Salomon in Proverbiis dixit: "Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens commiscetur alterius rixæ. " Quare idem ait: "Meliores patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. " Patientia namque perfectum opus habet, apostolo Jacobo hoc testante, qui ait: "Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in temptationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei nostræ patientiam operatur. Patientia autem perfectum opus habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes."

At Melibeus dixit: Talem patientiam, quæ ad perfectionem pertineat, habere minime valeo; nam etsi periculum imminet, animus tamen meus semper vindictam facere satagit. Inimici namque mei cum magno excessu ac scelere prædicta hæc facientes omne periculum contempserunt. Si ergo, spreto periculo, cum aliquanto excessu vindictam fecero, non erit mirandum nec ad stultitiam reputandum, quia "nunquam periculum sine periculo vincitur;" et etiam a legibus permittitur vim vi repellere et fraudem fraude excludere.

Prudentia respondit: "Ratio bene adhibita, quid optimum sit, cernit: neglecta vero multis implicatur erroribus. " Si rationem itaque bene inspexeris, te male dixisse, aperte cognosces. Non enim periculum periculo in hoc casu poteris vincere, sed duplicare, si de prædictis volueris recordari. Nam, licet inimici tui talia facientes graviter peccaverunt, tu vindictam cum excessu faciendo non esses a peccato immunis; ait enim Cassiodorus: "Nihil discrepat a peccante, qui se per excessum nititur vindicare. " Et licet hostes tui scelus commiserint, tu eodem modo scelus committeres, si non te defendendo, sed noviter aggrediendo, contra juris ordinem vindictam faceres: quod esse non debet; ait enim Seneca: "Nunquam scelus scelere vindicandum. " Quod autem dixisti, leges concedere vim vi repellere et fraudem fraude excludere, verum est, si in continenti defensio fiat cum moderamine inculpatæ tutela, et non ad vindictam. Hic autem non vis facere ad defensionem sive tutelam in continenti, sed ad vindictam et ex intervallo. Similiter non vis fraudem fraude excludere, sed de novo fraudem committere, quod est omnino contra juris rationem. Rationem ergo amplectaris, et ab ea nullo modo recedas.

Tunc Melibeus dixit: Licet adversarii mei potentiores me videantur ratione personarum, ego tamen potentior sum illis ratione rerum; quia respectu mei pauperes sunt; et, cum divitiæ atque "pecuniæ sint regimen omnium rerum, " multitudinem hominum mediante pecunia de facili potero habere, ita quod etiam ratione personarum illos potero superare et ad necessitatem et paupertatem ac mendicitatem et mortem illos perducere.

Caput XLIII.

De paupertate et divitiis.

Prudentia vero respondit: Quia in divitiis nimis confidere videris ac paupertatem despiciere, ideo de paupertate et divitiis aliqua dicamus, per quæ destructionem divitiarum fugias, et paupertatem, quæ necessitatemque indigentiam inducat, omnino devites. Verum est, ut dixisti, pecuniam esse regimen omnium rerum; id est, ea mediante omnes res reguntur et gubernantur; et divitiæ et opes temporales, quantum in se, bonæ sunt, "quia omnis creatura Dei bona;" nam sicut corpus sine anima vivere non potest, ita sine temporali substantia et opibus non potest durare. Victus enim et vestitus corpori ita sunt necessarii, quod sine opibus temporalibus vita in hominis corde diutius non potest manere. Per temporales namque divitias faciunt homines magnas parentelas, magnoque honores acquirunt; unde Pamphilus dixit:

Dummodo sit dives eujusdam nata bubulei,
Eligit e mille, quem libet, ipsa virum.
Et alibi etiam dicitur:
Glorificant gazæ privatos nobilitate,
Paupertasque domum premit altam nobilitate.
Et etiam Horatius dixit:
Et genus et formam regina pecunia donat.

Per temporales insuper opes atque divitias acquirit homo magnam potentiam, ita quod reges et principes ac fere quilibet homines eam sequantur et timeant. Et nota quod, sicut occasione opum temporalium atque divitiarum prædicta bona et infinita alia consequimur, ita amissis opibus atque divitiis paupertatemque indigentiam et necessitatem incurrimus, atque omnia mala sustinere cogimur.

Caput XLIV.

De necessitate.

Necessitas namque mater criminum dicitur. Quare Cassiodorus dixit: "Dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitus aufertur." "Necessitas enim moderata non diligit," ut idem ait. Inde Petrus Alfonsus dixit: "Magnam necessitate cogitur etiam honestus vir latinam adire," et etiam ab inimicis auxilium postulare, quod est valde gravissimum. Unde idem ait: "Est una de adversitatibus hujus seculi gravioribus homini libero, quando necessitate cogitur, ut sibi subveniat, requirere inimicum;" et hoc ideo quia graviore insidias antiqui adversarii tunc subimus, quando ejus bona suscipimus. Et ita est pessima necessitas, ut hominem experiri omnia cogat cumque mendacem faciat, ad res cunctas eum constringat, et ad mendicitatem atque indigentiam et excessus omnes perducatur. Quare jura et proverbium clamant: "Necessitas non habet legem." Et Seneca dixit: "Necessitas egentem mendacem facit;" et iterum: "Necessitas ab homine quæ vult impetrat;" et iterum: ["Hominem] omnia experiri necessitas subigit." Et Cassiodorus dixit: "Indigentiam juste fugimus, quæ suadet excessus." Et Salomon dixit: "Quinque sunt, quæ populum domant: licentia, luctus, fames, bellum, ad ultimum vulgi imperitia: ad res cunctas sola contrahit necessitas." Et iterum: "Melius est mori, quam indigere." Indigentia namque mendicitatem inducit, de qua Innocentius in libro de Contemptu Mundi ait:

Caput XLV.

De mendicitate.

"O miserabilis mendicantis conditio! Nam, si petit, pudore confunditur, et si non petit, egestate consumitur; sed ut mendicet, necessitate compellitur: indignatur, murmurat, imprecatur. " Quare Salomon in Proverbiis dixit: "Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, " Domine! Opes itaque temporales, pecunia atque divitiæ, per quas tot bona consequimur, totque mala fugamus, bonæ sunt, si a bono homine possideantur. Respectu autem malorum hominum possidentium illas, malæ dicuntur, quia nihil est homini bonum sine se bono. Licet enim per se bonæ sint, malis tamen hominibus malæ dicuntur esse, quia illis causam malorum præstant; ait enim Seneca: "Divitiæ sunt causa malorum, non quia faciant aliquid, sed quia facientes irritant. " Unde quidam philosophus dixit: "Pecunia avaro supplicium est, profuso decus, parricidium proditori. " Utaris ergo divitiis, et eis absterneas moderate atque scienter et secundum virtutem. Ait enim Tullius: "Virtus est rebus, quas acquirimus, uti moderate atque scienter. " Et Ovidius dixit:

Est virtus placidis abstinuisse bonis.

In acquirendis ergo opibus et divitiis conservandis et utendis tres comites tecum habeas, scilicet Deum et conscientiam et bonam famam, vel ad minus Deum et conscientiam, secundum quod de hijs plenius notatum invenies in libro de Amore et Dilectione Dei et Proximi et Aliarum Rerum et de Forma Vitæ, in titulo: De acquirendis et conservandis opibus, et in sequentibus quatuor titulis.

Hijs itaque notatis et diligenter inspectis circa divitias et paupertatem atque indigentiam et necessitatem atque fortunam, non consulo tibi, utinam divitiis nimis confidas, nec eas in guerra facienda consumas.

Caput XLVI.

De malis guerræ.

Nullæ enim opes vel divitiæ sumptibus guerræ, meo arbitrio, sunt sufficientes; nam dixit quidam philosophus: Nemo in guerra constitutus satis dives esse potest. Quantumcunque enim sit homo dives, oportet illum, si in guerra diu perseveraverit, aut divitias aut guerram perdere, aut forte utrumque simul et personam. Si enim pauper est, guerram nullo modo sustinere potest; si divitiis multum habundat, in sumptibus multo magis habundabit. Nam sicut omnis, qui peccat, quanto major est, famosius crimen habet, secundum Martialem dicentem:

Omnis homo crimen tanto famosius in se,
Quanto qui peccat major habetur, habet:

Ita homo in guerra constitutus, quanto major est, tanto majores sumptus illum facere oportet; et si forte guerram amiserit, majori casui subiacebit. Unde dictum est: "Excelsis facilius nocet casus. " Et in Lucano dicitur:

Invidia fatorum series, summisque negatum est
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus.

Et Martialis dixit:

Altior ascensus, gravior per summa ruina est.

Et non solum divitiæ perduntur per guerram, sed etiam amor Dei et paradisi et vita præsens et amici ac noti per adversam guerræ fortunam taliter amittuntur, quod loco prædictorum omnia mala succedunt, et ad inferna hominis anima simul cum corpore pergere molitur. Amore itaque Dei et timore tantorum malorum guerram, quantumcunque potes, debes vitare.

Caput XLVII.

De bello vitando.

Et etiam bellum, quod occasione guerræ fieri consueverit, multo fortius est vitandum multis rationibus. Prima ratione, quia bella Deo displicent; unde Propheta dixit: "Dissipa gentes, quæ bella volunt."

Secunda ratione, quia bella non solum homines singulariter, sed etiam populum domare consueverunt, ut in prædicta auctoritate Salomonis: "Quinque sunt, quæ populum domant: licentia, luctus, fames, bellum" et cetera.

Tertia ratione, quia bellum valde timendum est; scriptum est enim: "Beata civitas, quæ bellum in pace timet." Et non solum timendum est bellum, sed nec etiam nominandum; scriptum est enim: "Si pacem diligis, belli nefeceris mentionem."

Quarta ratione vitandum est bellum, quia "varius et dubius est bellieventus," nec per multitudinem hominum nec alia ratione visibili potest esse certus; unde Judas Machabæus dixit: "Non in multitudine exercitus victoria fit belli, sed de cælo est virtus. Facile enim est Deo a multis paucos liberare, et super multos paucis victoriam dare." Et David dixit ad Philistæum, quem cum lapide fundæ interfecit: "Etnoverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus: ipsius est enim bellum."

Quinta vero ratione vitandum est bellum, quia in eo maxime versatur periculum, quod a sapientibus multum est fugiendum; ait enim Tullius: "Sed fugiendum etiam illud et curandum, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius; quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda est medicorum, qui leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes et accipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestate adversam optare, dementis est, subvenire autem tempestatum, id est necessitati, quo vis modo, quavis ratione, sapientis est."

Sexta autem ratione bella vitanda sunt, quia in hijs mors ab omnibus merito expectatur; nam "incertum est, quo loco mors te expectet: tu autem eam omni loco expectare potes et debes," et maxime in bello. Infinitæ denique sunt rationes, quibus bella et guerra vitanda sunt, quæ non valerent de facili cogitari; nec eas ad præsens notari oportet.

Tunc Melibeus dixit: Licet multas justas rationes sapienter induxeris, quibus vindictam et guerram ac bellum abhorreere videris, non tamen adhuc mihi tribuisti consilium, quod in hoc negotio a te affectanter habere desidero.

Caput XLVIII.

De guerra vitanda per reconciliationem.

Prudentia respondit: Meum est consilium, ut per reconciliationem et concordiam vincas discordiam et guerram; scriptum est enim: "Ibi semper est victoria, ubi est concordia." Et ita habebis gaudium; et praedicta mala fugiendo, tuae res crescent et multiplicabuntur. Dixit namque Salomon in Proverbiis: "Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium." Et Seneca in Epistolis dixit: "Concordia parvae res crescunt: discordia maximae dilabuntur." Et Tullius dixit: "Mea quidem sententia paci, quae nihil sit habitura insidiarum, semper est consulendum."

At Melibeus dixit: Quomodo possum reconciliari meis inimicis? quia ipsi initium discordiae fecerunt, nec reconciliationem quaerunt.

Prudentia vero respondit: Si adversarii tui, te velle reconciliationem, crederent, cum magna devotione illam a te postularent. Audivi namque, quod de peccato atque stultitia sua valde dolent, et tuis mandatis in omnibus et per omnia cum juramento et juratoribus cupiunt obedire. Quare tutius credo, cum hoc honore de periculis et guerra exire, quam cum multis periculis destructionem corporis et animae ac rerum formidare. Plus etiam dico tibi quia, etsi adversarii tui non inciperent petere reconciliationem, nihilominus deberes tu illius reconciliationis facere inceptionem; scriptum est enim: "Semper ab aliis dissensio incipiat, te autem reconciliatio." Nam et Propheta jussit, reconciliationem et pacem non solum ab aliis expectari, sed etiam inquiri et persequi; ait enim: "Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam." Et Apostolus in epistola ad Romanos dixit: "Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes." Et in Ysaia scriptum est: "Quam speciosi pedes evangelizantium pacem." Inquiras ergo pacem, et injuriae obliviscaris; ait enim Seneca in Epistolis: "Injuriae oblivisci debemus, beneficium vero meminisse;" nam "injuriarum remedium est oblivio." Unde Iesus Sirac dixit: "Omnis injuriae proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriae."

At Melibeus dixit: Injuriae oblivisci non valeo, sed vellem ut diceres mihi, si in aliquo casu licet alieni guerram facere vel pugnare.

Prudentia respondit: Omnes homines semper guerram facere et pugnare tenentur cum peccatis et vitiis; nam scriptum est: "Non coronabitur quis, nisi legitime certaverit;" nam propter talem pugnam merentur omnes pugnantes vitam aeternam et perpetuae victoriae coronam. Sed cum

omnibushominibus pacem habere debes; unde scriptum est: "Cum hominibus pacem habeas, cum vitiiis bellum."

Melibeus dixit: Ego non loquor de pugna et bello contra vitia, sed depugna et bello contra homines committentes maleficia.

Caput XLIX.

Casus, quibus licite pugnare possumus.

Prudentia vero respondit: Octo sunt casus vel causæ, quibus licite pugnare possumus: pro fide conservanda et non violanda, pro justitia manutenenda, pro pace habenda, pro libertate conservanda, pro turpitudine vitanda, pro violentia repellenda, pro tutela sui corporis facienda et pro necessariacausa, de quibus singulariter dispiciamus.

Pro fide certe sunt bella suscipienda, et manu decertandum est. Nam sicut fides nostrum scutum esse debet, sub quo omnes clauduntur virtutes, et cujus scuti adminiculo pugnare debemus, de qua dixit Apostolus in Epistola ad Ephesios circa finem: "Sumentes scutum fidei, in quo possitis omniatela nequissimi ignea extinguere, " et de qua etiam dictum est:

Prima petit campum dubia sub sorte duelli

Pugnatura fides agresti turbida vultu:

Ita pro fide bella suscipienda sunt, et manu etiam decertandum est. Etpotius est mors tolleranda, quam fides catholica derelinquenda, sicut Judas Machabæus, Moises et David et Karolus et alii pugnatore fecerunt. Et etiam infiniti sancti pro fide mortem sustinendo pugnaverunt.

Similiter pro justitia pugnare debemus et usque ad mortem certare; aitenim Jhesus Sirac: "Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos."

Pro pace vero habenda suscipienda sunt bella, et manu etiam decertandum est. Dixit enim Tullius: "Suscipienda quidem sunt bella ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur. " Et iterum idem ait: "Bellum ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quæsita videatur."

Pro libertate vero conservanda et servitute indebita repellenda decertandum est usque ad mortem; ait enim Tullius: "Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, et mors servituti turpitudinique anteponeunda est. "Inde etiam Seneca dixit: "Occidi pulcrum est, si ignominiose servis. " Deservitute indebita ideo dixi, quia si debite et in veritate quis servus est, non debet curare; ait enim beatus Paulus in Epistola ad Corinthios: "Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ. " Et etiam beatus Petrus in Epistola sua prima dixit: "Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis."

Pro turpitudine vero evitanda similiter decertandum est, et mors turpitudinianteponeunda, ut supra dictum est in illa auctoritate: "Cum tempus" et cetera.

Pro violentia vero repellenda pugnandum est ac manu decertandum; namper leges et decretales dicitur: "Vim vi repellere omnes leges omniaquejura permittunt;" et intelligo vim, non solum quando homines vulnerantur, sed etiam quando quis, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, ut lex dicit.

Pro tutela sui corporis similiter pugnandum est ac manu decertandum;ait enim lex: "Quod quis ob tutelam sui corporis facit, id recte videturfecisse;" nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Et in tantum etiam defensio permittitur, ut etiam ante tempus violentiæoccurrere permittatur; melius est enim in tempore occurrere, quam postexitum vindicare, ut leges clamant. Et in tantum etiam tibi defensio permittitur, ut, si aliter periculum vitare non poteras, et hominem occidisti, per legeset jura nullo modo puniaris; nam et "si arietes et boves inter se commisissent, et agressor mortuus fuerit, altero se defendente, sine compositione jaceredebet, " ut lex dicit. Resistere namque injuriæ ac violentiætibi taliter permittitur, ut a quibusdam dicatur vitium et culpa non resistereinjuriæ, si fieri potest. Unde Tullius dixit: "Tam est in culpa quinon resistit injuriæ, si commode potest, quam si parentes aut amicosaut patriam relinquat. " Tutelam tamen tui corporis facere debes in continentiet cum moderamine inculpatæ tutelæ; ut si telo quis te percutarevult, tu etiam ante percussione illum telo percutere poteris ad tutelamtantum, et non ad vindictam.

Pro necessaria denique causa pugnandum est ac manu decertandum, putaquando bellum est indictum et denuntiatum; ait enim Tullius: "Intelligipotest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus petitis geratur, aut denuntiatum sit ante et indictum. " Inde etiam Cato dixit: "Pugna propatria."

Et hæc, quæ dicta sunt de pugna et certamine manu faciendis, intelligas locum habere in quolibet homine non religioso. Religiosis autemperfectis, qui non noverunt movere arma, dictum est a Domino: "Mihi vindictam, et ego retribuam" et: "Si quis percusserit tibi maxillam, porrige et aliam;et si quis abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium. " Tales namque religiosinon debent manu decertare, sed potius pati mortem, quam turpitudinem velaliquod peccatum mortale facere.

Tunc Melibeus respondit: Bene a te audivi, quod pro pace habenda decertandumest manu atque pugnandum; quare volo cum prædictis meis adversariispugnare; et ita potero eum illis postea pacem habere.

At Prudentia quasi irato animo ac vultu mutato dixit:

Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit.
Pugnat in adversas ire natator aquas.

Tu pro stulto vere potes reputari, qui, cum pacem cum sacramento et sacramentalibus ad tuum præceptum possis habere, cum periculo et guerra et bello illam desideras ad finem perducere. Nam, qui bene et bonum videt, et male et malum capit, aut fingit se sapientem aut stulte facit.

Tunc Melibeus dixit: Nolo, ut irato animo contra me aliquid dicas; sed si quid stultum vel ineptum dixeris vel decero, ad tuam voluntatem me corripias; non enim habeo pro malo, quidquid mihi dixeris quieto animo. Scripsit enim Salomon: "Qui corripit hominem, magis gratiam apud eum inveniet, quam qui per linguæ blandimenta decipit."

At Prudentia respondit: Non irascor contra te sine causa, sed potius pro tua salute; nam, ut idem Salomon dixit: "Melior est ira risu, qui pro tristitia vultus corrigitur animus delinquentis." Consulo itaque tibi, ut te corrigas atque, me temptare verba pacis, permittas, et si id, quod dixi, bono animo facere volunt adversarii, illos ad tua præcepta suscipias.

Tunc Melibeus dixit: Ex quo tibi hoc placet, ac inde mihi consulis, quod tibi placet, facere non postonas.

Tunc Prudentia, dilatione modica postulata, de voluntate viri, in eorum absentia, secreto illos adversarios suos ad se fecit vocari, in quorum præsentia bona pacis et mala guerræ ac belli prædicto modo narrans, illos coepit hortari, ut de injuria sibi et domino Melibeo ac filiæ ejus facta dolerent, ejusque domini præceptis cum juramento ac juratoribus ac poena stare nullatenus differrent. Illi autem hæc audientes gavisi fuerunt gaudio magno; valdeque dulcedine verborum moti ac dolore cordis intrinsecus tacti cum fletu responderunt dicentes: Domina sapientissima, "tu prævenisti nos in benedictionibus dulcedinis." "Quod enim dixisti, nos prius dicere debebamus; initium namque discordiæ nostræ processit stultitia; quare initium reconciliationis a nobis incipere debebat. Verum, quia nesciebamus, prædicta tibi ac domino tuo placere, hæc vobis dicere nullatenus audebamus. Volentes igitur tuis consiliis acquiescere atque præceptis domini Melibeus in omnibus et per omnia, sicut dixisti, libentissime obedire tuam benignitatem flexis genibus exoramus, ut quod verbis dixisti bonis sanctisque operibus inter nos et dominum Melibeum debeas adimplere. Timemus tamen, ne, propter nostrum excessum ac peccatum nostrum improbitatem, dominus Melibeus iratus ad præceptum contra nos properaret iniquum; quare tuum consilium super hijs devotissime postulamus.

Prudentia respondit: Licet durum sit et omni rationi contrarium, quod quis in adversario vel inimico suo confidat, vel se in ejus potestate et arbitrio committat, ut supra in hoc libro, in titulo De vitando illorum consilio, qui sunt vel jam fuerunt inimici, sed postea in gratiam redierunt, reperitur: tamen quia dominus Melibeus de prædictis tecum tractabit, nec meo consilio ad iniquum præceptum recurrere valebit, ideo consulo vobis, ut de illo non diffidatis. Cognosco namque benignitatem et largitatem prædicti domini mei; non enim est iniquus nec pecuniæ cupidus, semper honorem affectans, iniquitatem atque pecuniam omnino contempnit. Alioquin nulli aliquo modo consulerem, ut sine causæ cognitione ac præcedenti tractatu arbitrium daret inimico suo vel super se potestatem. Ait enim Salomon: "Audite populi et omnes gentes et rectores ecclesiæ: filio et mulieri, fratri et amico ne dederis potestatem super te in vitia." Si enim prohibuit, dari potestatem super se filio fratri et amico, multo fortius prohibuit cuilibet, ne alicui inimico super se potestatem concedat. Prædictis auditis, illi tres adversarii unanimiter responderunt dicentes: Confisi

de tua benignitate ac solita clementia, tuam et domini Melibei voluntatem, dante Domino, adimplebimus. Quocumque igitur tibi placuerit, mittas pro nobis et omnibus vestris præceptis obedire erimus parati.

Prudentia vero accedens ad virum eique narrans quæcumque cum illi tractaverat, petiit ab eo, an prædicta illi placerent.

Qui, cum audivisset illorum devotionem atque circa illorum excessum poenitentiam et cordis contritionem atque peccati confessionem, respondit dicens: Venia digni sunt, qui de peccato excusationem non faciunt, sed cum lacrimis et confessione ac cordis compunctione indulgentiam implorare non cessant; ait enim Seneca: "Ubi est confessio, ibi est remissio;" innocentiam enim proxima est confessio. Et iterum: "Proximum ad innocentiam locum tenet verecundia peccati et confessio;" nam "peccatum extenuat, qui celeriter corrigit." Hinc est, quod consilium per te mihi datum valde mihi est placidum, si hoc facere poterimus de amicorum voluntate atque consensu.

At Prudentia sereno vultu et hilari facie dixit: Recte respondisti, nam sicut cum amicorum nostrorum consilio atque auxilio vindictam facere proposueras, ita in concordia et reconciliatione eorum consilium petere non postponas. "Nihil enim tam naturale est, quam aliquid dissolvi eo genere, quo colligatum est," ut lex dicit.

Hijus itaque tractatis, in continenti convocaverunt amicos fideles, agnatos quoque atque cognatos probatos ac fideles inventos; eisque fere omnia, quæ supra scripta sunt, per ordinem narrantes, consilium, quod super prædictis facerent, diligenter postulaverunt. Amici vero hæc audientes, post multam indagacionem et prædictarum rerum diligentem examinationem, consilium de reconciliatione, concordia et pace faciendum laudaverunt et unanimiter approbaverunt.

Prudentia hijus auditis et diligenter cognitis ait: Semper audivi dici: quod bene potes facere, noli differre, ideoque consulo, ut statim fiat, quod post multas moras fieri deberet. Et sic de consensu omnium missi fuerunt nuntii sapientes pro adversariis prædictis, qui illis dixerunt: ut, si placet illis, ad præfatam congregationem, causa compositionis atque concordiam, nulla dilatione adhibita, cum juratoribus idoneis venire non postponant. Qui benigne respondentes et gratias nuntiis agentes, rogaverunt eos, ut domino Melibeo ejusque congregationi referrent, se statim venturos, et eorum præceptis se fore in omnibus et per omnia obedire paratos.

Cum autem venire vellent, unus eorum dixit: Faciamus et nos congregationem magnam, ut cum honore ad illos accedamus. Alius vero dixit: Hoc faciendo, mora factum nostrum cito impediret, nam

Quæcumque æquor habet, quæcumque pericula tellus
Tam longæ causas suspicor esse moræ;

quare consulo, ut sine mora hoc faciamus, quod aliis placuit. Et ita statim cum juratoribus et paucis aliis devote ad curiam domini Melibei accesserunt.

Tunc Melibeus surgens inter cetera dixit: Verum est, quod vos sine causa iusta injuriam magnam mihi et dominæ meæ ac filiæ fecistis intrando violenter domum meam et talia faciendo, de quibus merito deberetis pati mortem; unde volo a vobis audire, si vobis placet de prædictis vindictam meæ ac dominæ meæ Prudentiæ committere voluntati.

Illi vero respondentes dixerunt: Domine, nos sumus indigni venire ad curiam tanti et talis domini; nam talia scelera commisimus de quibus morte digni essemus; verum tamen confisi, non de nostra scientia vel potentia, sed potius de vestra solita clementia et benignitate huc venimus, et ecce parati sumus vestris parere mandatis et cum juramento ac juratoribus in omnibus et per omnia, flexis genibus fuisque lacrimis, obedire tam in personis quam in rebus. Et ita prostrati ad pedes Melibei et dominæ Prudentiæ cadentes, cum summa devotione ab eis indulgentiam postulaverunt. Quos ipse Melibeus per manus sublevans benigne ad sua mandata prædicto modo recepit hoc pacto, ut semel et sæpius posset contra illos præcipere, laudare ac pronuntiare. Quibus etiam præcepit, ut hinc ad octavam ante suam præsentiam illic se repræsentarent audituri suam voluntatem atque præcepta; nam volebat cum medicis de convalescentia filiæ suæ tractare, atque de præceptis illis faciendis cum magna deliberatione et diligenti provisione cogitare. Hijs taliter ordinatis, omnes hinc inde cum lætitia et gaudio recesserunt.

Post modum Melibeus, vocatis ad se medicis, de filiæ suæ convalescentia diligenter quæsivit. Cui dixerunt medici: Ecce filia tua quasi liberata est, nec de illius convalescentia te nullatenus dubitare oportet. Quos Melibeus copiose remuneravit, eosque rogavit, ut de filiæ suæ sanitate studiosissime procurarent.

Quibus ita peractis, Prudentia, summo mane in remoto et secreto loco simul cum Melibeo existens, dixit ei: Domine, vellem a te audire cujusmodi præcepta placeat tibi nostris adversariis facere.

Qui dixit: Volo illos bonis omnibus spoliare illisque præcipere, ut ad partes ultramarinas se transferant, ulterius huc non reversuri.

At illa dixit: Iniquum esset hoc præceptum, nec esset rationi consentaneum. Quare, si hoc præceptum faceres, nunquam cum honore vivere valeres; nam, cum ultra modum dives existas, eorum pecunia nullatenus indiges, et de cupiditate merito posses reprehendi, quæ consuevit "radix omnium malorum" nuncupari.

Caput L.

De bona fama.

Nam melius esset tibi tantum de tuo amittere, quam sua turpiter recipere. Scriptum est enim: "Mallem perdidisse quam turpiter accepisse." Unde dicitur consuevit:

Gazas congestas mentis præcellit honestas.

Honestas namque et bona fama nullis thesauris vel pecuniis sunt deturpandæ. Quare Jhesus Sirac dixit: "Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebitquam mille thesauri magni et pretiosi. " Nam ut idem ait: "Lux oculorum lætificat animam, et fama bona impinguat ossa. " Lucrum ergo illud tanquam dampnum omnino spernas; scriptum est enim: "Lucrum cum mala fama dampnum est appellandum. " Quare Cassiodorus dixit: "Affectans famæ commoda pecuniæ negligit augmenta. " Est enim ingenui animi signum famæ diligere commodum; per bonam enim famam bonus homo cognoscitur; nam ut idem ait: "Habunde cognoscitur quisquis fama teste laudatur. " Quare Salomon ait: "Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ;" et iterum idem ait: "Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. " Et Seneca dixit: "Bona opinio homini tutior est pecunia;" quia, ut idem ait, "bona fama in tenebris bonum splendorem facit. " Spreta itaque dicta pecunia, dictum Apostoli omni modo serva, qui in Epistola ad Timotheum dixit: "Quæcunque bonæ famæ sunt, hæc cogitate;" nam, ut quidam philosophus dixit, "tacet omnis virtus, nisi fama late pateat. " Quam famam omnino amitteres, si talia præcepta facere studeres. Cum ergo scriptum sit: "Laus vel fama nisi nova oritur, vetu amittitur, " studere debes illam non amittere, sed renovare. Quod autem dixisti, te velle illis præcipere, ut ad partes ultramarinas se transferant, ulterius non reversuri, iniquissimum mihi videtur; nam quod honoris causa tibi fecerunt dando super se tibi potestatem atque dominium, vis convertere ad dedecus et obprobrium sempiternum. Non enim debes abuti potestate ab illis super se tibi concessa, cum de jure privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. " Lusetiam dico quia, etsi de jure id facere posses, quod non concedo, de facto id adimplere minime valeres; quia, si forte præcepta tua iniqua adimplere nollent, ad eandem guerram cum dampno et vituperio tuo redire oporteret. Ut ergo melius tibi pareatur, remissius imperare oportet; scriptum est enim: "Remissius imperanti melius paretur."

Melibeus respondit: Non videntur mihi talia præcepta fore iniqua; nam talia scelera commiserunt, pro quibus poenam corporalem sustinendo moride jure deberent. Minus ergo puniuntur, si loco poenæ corporalis tali patiantur; nam secundum jura quælibet poena corporalis durior est quælibet pecuniaria, ut leges clamant. Præterea cum Jhesus Sirac dicat: "Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, injurias et contumelias:" non erit absonum, si pro injustitia, injuria et contumeliis contra nos illatis de loco ad locum, amissa sua substantia, transferantur.

Prudentia respondit: Jhesus Sirac loquitur de judicio divino, leges vero loquuntur de juris rigore; sed hic non debet tractari de judicio divino nec de juris rigore, sed potius de pacis et concordie benignitate. Quare consulo tibi, ut non taliter eos lædas, sed ab hoc malo præcepto desistas; dixit enim Constantinus imperator: Nam qui conatur perpetrare quod malum est, captivare utique studet bonitatem; cum ergo fuerit hoc certamine superatus, victoriam obtinet victus. In hoc itaque negotio te taliter regas, ut in hac victoria per eos tibi concessa te vincas; et sic bis vincere poteris. Ait enim Seneca: "Bis vincit qui se in victoria vincit;" is enim vinit assidue, qui novit omnia temperare. " Tempera itaque te humanum placabilitate atque clementia; nam Tullius dixit: "Nihil est laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. "

Caput LI.

De clementia et pietate et misericordia.

Et alius dixit: "Perpetuo enim vincit, qui utitur clementia. " Plus etiam dico tibi, quia pietas et clementia non solum parvos vel mediocres ornant et sublimant, sed etiam magnos reges et principes decorant, eorumque imperium custodiunt et conservant. Quare beatus Paulus in Epistola prima ad Timotheum, dixit: "Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. " Et Cassiodorus dixit: "Pietas siquidem principum totum custodit imperium. " Et Salomon in Proverbiis dixit: "Misericordia et veritas custodiunt regem; et roboratur clementia thronus ejus. " Et Constantinus imperator dixit: Omnium etenim se esse verum dominum comprobat, qui verum se servum pietatis demonstrat. Vere enim omnium adversantium poterimus esse victores, si a sola pietate vincamur. Et Seneca, De Clementia Imperatoris, dixit: "Nullum clementia magis decet quam regem;" et iterum: "Iracundisimæ et parvi corporis sunt apes, rex tamen earum sine aculeo est. " Exerceas ergo circa hanc vindictam placabilitatem, clementiam et pietatem: alioquin, si vindictam cum iniquitate, prædictis omissis, exerceris, post famam malam de tali victoria multum doleres, tibi que accideret quod Seneca dixit: "Male vincit, quem poenitet victoria;" melius est enim ignoscere, quam post victoriam poenitere. Quare consulo tibi, ut sensum Senecæ sequaris, qui dixit: "Si forte inimicum tuum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim honestum et magnum vindictæ genus, ignoscere. " Misericordiam itaque in hoc tuo iudicio exerceas, ut Deus in suo ultimo iudicio tui misereatur ac tibi pareat: alioquin Deus sine misericordia te puniret. Ait enim beatus Jacobus in Epistola sua: "Iudicium enim sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam."

Hic auditis et diligenter cognitis, Melibeus dixit: "Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur. " Hinc est quod, propter dulcia et suavia tua consilia mutato meo proposito, tuam volo sequi benignitatem, et in hoc negotio in omnibus et per omnia tuam facere voluntatem.

Adveniente itaque termino constituto, prædicti adversarii cum juratoribus suis ad curiam domini Melibeus accedentes, flexisque genibus suis fuscisque lacrimis ad pedes dicti domini ac dominæ Prudentiæ prostrati dixerunt: Ecce venimus huc parati in omnibus et per omnia vestris obedire præceptis. Verum tamen, licet indigni, vestram exoramus dominationem, quatenus, erga nos non exercentes vindictam, sed potius placabilitatem, clementiam et pietatem, nobis subditis vestris donare dignemini indulgentiam. Eritis namque inde potentiores; scriptum est enim: "Multa ignoscendo potens fit potentior."

Tunc Melibeus de voluntate et consensu dominæ Prudentiæ dixit: Licet magna superbia in vobis contra nos præcesserit, major tamen humilitas est secuta, quæ, etsi minor esset, tamen omnibus malis præponderare debet, cum plus debeat prodesse bonum quam nocere malum. Præterea, dulcia verba vestra mollesque responsiones nostram mitigaverunt iram et indignationem, secundum verbum Salomonis dicentis: "Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos;" et iterum: "Mollis responsio frangit iram: sermo quoque durus suscitatur furorem;" et etiam secundum auctoritatem illam: "Principium amicitiae est bene loqui; male dicere vero est exordium inimicitiarum. " Insuper etiam vestra devoti cordisque contritio et poenitentia atque peccati confessio nos induxerunt ad placabilitatem, clementiam et pietatem. Respicientes igitur ad vicinitatem, quia Æ' ut ait Salomon Æ' "melior est vicinus juxta quam frater procul, " et ad dictum Catonis dicentis:

Lædere qui potuit, aliquando prodesse valebit,
sperantes etiam, quod dicitis ore, vos impleturos opere: Dei amore nostroque honore vobis
vestræque parti pro nobis et pro nostra parte omnem injuriam, iram et indignationem omnemque
rancorem remittentes, vos in nostram suscipimus gratiam et bonam voluntatem. Et ita, sublevando
illos per manus, recepti sunt in osculum pacis. Quibus Melibeus, sequens Domini vestigia, dixit:
"Ite in pace, et amplius nolite peccare."

Et ita utraque pars cum gaudio et lætitia recesserunt.